
No. 67.

Medicina Reformata


















MEDICINA REFORMATA, SEV DENARIVS HERMETICVS PHILOSOPHICVS MEDICO-CHYMICVS,

HENNINGI SCHEVNEMANNI
Halberstad. Saxonis, Phil. & Med. Doct.

IN QVO
MIRA BREVITATE DILVCIDE docetur, decem Entibus omnium morborum radices, productiones, transplantationes, astra, signa, indicationes & curationes compleri & absolui.

M. DC. XVII.



FRANCOFVRTI,
Typis & Impensis IOANNIS BRINGERI.



OMNIBVS VERÆ MEDICINÆ INQVISITORIbus benedictionem Dei precatur I. H.

ETsi bone lector hunc tractatum præstantissimi Medici D. Scheunemanni piæ memoriæ mihi aliunde ab amico communicatum in meum priuatum vsum retinere potuissem iure: Tamen victus charitate, querelis & commiseratione tot ægrotãtium pro desperatis relictorum, & bonorum qui Medicæ veritatis lucem quærunt desiderio, publicandum duxi hunc tractatum vere aureum, veræ Medicinæ fundamentum, in quo morborum vera causa & cura Paracelsica aperte docetur, quomodo vno remedio 100. morbi curentur, cum nunc vix 100. remedia vni morbo sufficiant, nec dubito quin boni mihi magnam habituri sint gratiam pro hac medicina reformata diu desiderata, ingrati autem

hæc mei officii (quod eſt curare animas) non eſſe dicent, qui ſciant, licet ſpeciale officium aliud requirere videatur; tamen generale officium eſſe inſeruire proximo talento nobis concredito, & nō tam ſibi quã multis prodeſſe. Grato igitur animo agnoſcite tantum valetudinis theſaurum, qui nobis multa Philoſophorum arcana aperte monſtrat & offert. Bonum autem Magiſtratum ea qua decet obſeruantia rogo, vt ſubmotis Medicis & pharmacapœis imperitis, qui nō niſi ſuum lucrum quærunt, nec addiſcere cupiunt veritatem, bonos conſtituant; quibus ægrotantium ſalus ſit cordi. Vale, & mecum Deum ora vt in linguis & reliquis artibus det reformatores idoneos in ipſius gloriam & Eccleſiæ ædificationem. Amen. 18. Aug. Anno 1616.

I. H. P. M.



VNIVERSIS, SINGVLIS VTRIVSQVE MED. CANdidatis Gaudium.

SAtis diu Thraces nobis immensa morborum phalange vallatis vitam nostrā morborum querelis exosam reddidere. Tandem aliquando fas est, vt Apollinis Delphici oraculum triumphet. Morborum omnium vnus & idem est modus: Locus vero affectus differentiam facit; propter loci diuersitatem nihil simile habent: Cum tamen sit morborum omnium & species & causa eadem. Πολλαχῇ ἀδελφιστοὶ τὰ ἕτερα τοῖσιν ἑτέροισιν. Crebro enim alii morbi aliis ἀδελφοῦσι, cognati sunt. Exempla quædam venerandus senex adiunxit, absq; tamen colophone, quem Medicorum nullus à bis mille retro annis imponere ausus fuit. Nuper Iohannes Quercetanus, vir ingeniosissimus in sua Tetrade tam diu exoptatum & desideratum opus pollicebatur: at immatura morte præuentus, vel rei difficultate perterritus, quod in votis & mente habuit, persoluere nequiuit. Nec ita pridem Denarius Medicus nomine Bernh. Peroti à

Portu lucem aſpexit, ſed nigrum rubro non reſpondet. Nos ſpreta mancipiorum turba liberis & incontaminatis ingeniis Hippocraticam veritatem proponimus, ex quibus de Sectarum omnium veritate & vigore iuſtam cenſuram facere quis poſſit, meliora & puriora eligere, ſpretis opinionum errorumq; labyrinthis, vtcumq; nominum ἀμφιβολογία Methodica artis adumbratione, fraude fidem facere conentur. Arduum certe hic fuit, obſcuris lumen, faſtiditis gratiam, vetuſtis nouitatem, dubiis fidem, ignotis nomina dare. At vicit victoriæ ſpes, ingenii candor, triumphus, laurea. Philoſophorum itaq; veſtigiis inſiſtens, multa ab aliis prætermiſſa adiunxi, anguſtias methodorum dilatans, & diſſipatas rerum familias, conſpirare feci. Neq; recitatores, neq; nudi transſcriptores fuimus, ex fontibus iiſdem, ex quibus antiqui & recentiores naturæ interpretes, riuos deduximus. Sæpe confluxus riuorum aſpicientes, hilari recreatione lucubrationum tædia mitigauimus. Scimus non paucas relictas eſſe dubitationes. Quid mirũ? Multa neſcientes de multis dubitare neceſſe eſt. Nihilominus ſi diligenter examinauerimus, quæ de origine, differentiis & proprie-
tatibus

tatibus corporum attulimus, fores naturæ reſeratas magna gratitudine fatebuntur. Iniquum eſſet, naturæ theſauros temere proſtituere: & exemplum Actæonis abſterret. Quapropter conſulto omiſi Medicamentorum δόσιν, temporum & periodorum obſeruationes, alimentorumq; morbo vnicuiq; conuenientem adminiſtrationem, veram Auri abſq; corroſiuis ſolutionem, aliaq; Medicorum orgia; quæ paraſitantes lenocitantesq; Philologos, Mathematicos, Aſtrologos, Iudiciarios infames, bubſequas & vroſcopos palantes, leguleios forenſes, cerberos, elatos chirurgos, ſuperbos pharmacopæos, tonſores ſtupidos, dentifragos circumforaneos, agyrtas & neſcio quam impij & profani cœtus turbam à legitimo Aonidum thoro arcent. Tales ego ſycophantas nulla συνουσίᾳ aut συμβουλεύσει dignor. Vobis autem vtriuſq; Medicinæ candidatis hos meos labores dedicare volui, vt animos veſtros ad naturæ myſteria indaganda inſtigarem. Hæc vitalia ſunt, & viuentium ſpirituum myſteriis vtuntur. Noſtrum hoc ſeculum ad corpoream medicinam defecit, mortuaſq; corporum vmbras ſectatur: in quibus nec viris doctis quicquam dignum, nec aliis

vtile. Quod si hæc vobis placuisse sensero, maiora polliceri possum, & magis elaborata, quæ votis multorum satisfacient. Hisce interim in salutem ægrorum fruimini & valetote. Datum Ascaniæ 14. Februar. Anno salutis 1613.

Henningus Scheunemannus
Ph. & Med. D.

DENARII



DENARII HERMETICI PHILOSOPHICI CHYMICO-Medici

CAPVT I.

Corporum Analyſis.

PRIMA & maxima naturæ vox iubet, vt homo concilietur ſibi: propterea mortem naturaliter timet, nomine magis, quam re formidabilem. Hæc data eſt Mundo ſententia, hæc DEI vox eſt, vt omnia orta occidant, vt aucta ſeneſcant, infirmentur fortia, & magna minuantur, vt dum infirmata & diminuta fuerint finiantur. Vita mortis expers; quocirca longa, ars breuis eſt; quam longam dogmatici obganniunt, multorum infelici occubitu. Morte irruente anima fidelium iuſtorum abſoluitur & gaudet: Corpus reſoluitur & ad auos & proauos ſuos in Hipp. orcum deſcendit: illuc nec mortis ſateilites cruciatus noſtri dolores, ardores, inflamma-

tiones, conuulſiones, horrores, &c. rigores cum reliquis à corruptione ad incorruptionem, à mortalitate ad immortalitatem, à perturbatione ad tranquillitatem ducunt. Nihil ergo moritur vnquam. Quæ enim hic corrumpi dicuntur, non feſtinant ad non Ens. Ex non Ente nihil fit, vniuſque corruptio alterius eſt generatio: Deſtinatis muneribus abſolutis ad fontes ſuos recurrunt: Quoniam omnia dona naturæ, omnis vita, ſcientia immortalis eſt: Corpus quod diſſoluitur, opinione vulgi corrumpi pariter, ad tenebras, orcum, caliginem feſtinare videtur. Sapientes vero aliter ſentiunt, relictis tenebris ad lucem pergere & vitam. Quæ hic in generationem prodeunt, augeri videntur, quæ hinc corruptione abeunt, diminui ita creſcentibus numeris, minuunturque proportiones, & viciſſim auctis proportionibus diminuuntur numeri. Quid igitur eſt generatio & corruptio? Fluxus ſunt ſeminum, quæ dum fluunt, augētur, minuuntur vero dum refluunt. Hinc conuincitur, Mortis ſatellites cruciatus noſtros, morbos omnes, mortis nempe prodromos nihil aliud eſſe, quam motum quendam præternaturalem corporis noſtri compagem ſoluentem ac dirimentem. Nam omnis coniunctio rerum mortalium maxime diuerſarum affert ſecum diſſolutionem. Compagem itaque corporis noſtri contemplari oportet, ne cum Philoſo-

phiæ ignaris & idiotis mortale mortali conſeruare nitamur. Mortale corpus vita non eſt, ſed nudum hoſpitium, in quo longa vita cœlitus gliſcit. Vita, fax & lampas, ignis naturæ viuus, balſamus perpetuus, lumen & numèn naturæ, incombuſtibile ſulphur, cuncta creata benignitate ſua, humido radicali, cœleſti rore & aura odoratiſſima adolet, cuius beneficio ſcientia à creatore locis ſuis, Elementis videlicet incorruptibilibus, inuiſibilibus & incorporeis incluſa, incorrupta in ęuum cuſtoditur. Hæc coniugii fœdera ſanciunt inuiſibilia, inſeparabilia. In hac generationum & procreationum omnium origines quiete delitеſcunt, vtrunque ſilentio mortalibus ætatis diuturnum deſiderium produxerit. Ex his actionum omnium vigor ac poteſtas deriuatur, cætera languida actionum impedimenta. Ex his colores, ſapores, odores & qualitates omnes tactiles, quantitates, numeri, conformationes ac ſignaturæ cæterę in mechanico generationum & tranſmutationum proceſſu prodeunt. Hæc complexiones rerum & proprietates conſtituunt, multiplicationes moderantur, ſtabilitatem cuſtodiunt, & mille huiuſmodi dotibus ornata ſunt. Hæc cum æterna, æthera & inuiſibilia ſint, deprehendimus etiamnum aliquid deſiderari, antequam ex ſuis abyſſis in hac mundana ſcena operationum & tranſplantationum liturgias abſoluere poſſint. Natura

igitur

igitur talem adiungere oportuit, quæ diuisibili proprietate temporum, locorũ, omniumque dimensionum necessariarum explicationes admittere, & quæ vitalibus seminum potentiis terminos constitueret, adeoq; vniuersæ naturæ fores clauderet. Hæc est corporum natura. Quorum prima differentia ex elementorum ordinibus deducitur, quod elementorum proprietatibus magis sunt vestita. Sunt hæc ignea, aerea, aquea, terrea, penetratione, mobilitate, agẽdi potestate plurimum discrepantia; in quibus tamen nulla δύναμις interna latet, saltem steriles caliditates, frigiditates, humiditates, siccitates, leuitates, grauitates, in quibus nulla est impressio fœcunda, etiam sine sapore plane insipida deprehenduntur. Talis est natura terræ, aquæ, aeris, ignis nostri, plurimarumque impressionum cœlestium, vt pluuiarum, niuis, grandinis, ventorum quorundam & similium fructuum aereorum, in quibus nulla est confluentia cum astris morborum, perinde nec vllam medicinam ex illis confici posse, præ cæteris venerandus senex Hippocrates docet πάντα, ait, ἀπὸ δυνάμεων γίνεται: τὸ θερμὸν, ψυχρὸν, ξηρὸν, ὑγρὸν, non esse τὸ μεγάλην δύναμιν ἔχον. Propterea in his nullam esse virtutem ad sanandos morbos. Cæca igitur & surda est omnis Philosophia, quæ priuationes, informesque materias & mortuas qualitates sectatur: quæ ex his morborum

pro-

productiones, generationes, trāſplantationes produci, earumque curationem abſolui poſſe, glorioſe quidem, vtinam non mani iactura? pollicetur.

Elementa inferioris huius mundi craſſa ſunt corpora à ſeminibus remotiſſima, idcirco mortua, arcanis carentia nil niſi mortuas qualitates poſſident, ex quibus nihil quicquam generatur, cum fructus ſint ſeminum primorumque elementorum perenni duntaxat fluxu & irrigatione generationibus inſeruiunt. Hic tamē, qui inhæreſcunt pſeudomedici reb. mortuis vitæ actiones attribuentes, corticem & ſiliquas pro nucleo, veſtem pro matrona, aerem pro Iunone, ancillas pro domina, cum Penelopes procis cœco impetu arripiunt & amplexantur.

Alia ſunt corpora ab elementis noſtris diuerſa, quæ ſeminum proprietates imitantur, quarum impreſſiones fœcundæ ſunt, & tincturam poſt ſe relinquunt conſtantem, in quibus ſaporem, odorem & qualitatum omnium vitalium veſtigia manifeſte deprehenduntur: Tria ſunt hæc: ſal, ſulphur & mercurius, cætera corpora vniuerſa conſtituentia, in quibus ſeparatio fieri poteſt viritutum ab inualido, puri ab impuro.

Caue autem, ne arbitreris, ne ſal cōmune, ſulphur & mercurium vulgi intelligas, cum indiuidua ſint, & in ſuo genere abſoluta, nullum

ex iis

ex iis corpus constituitur. Horum tamen quodlibet ex illis est compositum. Sed quia Filii Hermetis differentias 3. substantiarum, ex quibus vniuersa componebantur, proprietates, conditiones in nullis naturę totis speciebus, magis explicatas animaduerterēt, placuit ex iisdem appellationes mutuari. Nulla enim est constans proprietas vllius corporis, quæ vel non in salis vel sulphuris vel mercurii eiusdem corporis deprehendatur. Nulla igitur alia ratione, via vel indagine proprietates rerum, morborum origines & consumptiones venari licet, quam hac corporum analysi. In hac anatomia exercitatum esse oportet Medicum, vt internos veros morbos à sensuum iudicio longe remotos cognoscat.

Localis & externa anatomia Chirurgis quoque, tonsoribus, balneatoribus & nescio, cui improbi & profani cœtus turbæ ob exercitatas cadauerum sectiones non ignota, cauitates, magnitudines, ordinem, numerum, connexiones, situm partium corporis humani ad amoliendos externos morbos docet. Externi morbi sunt, qui externarum causarum violentia infliguntur, vt luxationes, contusiones, vulnera, calefactiones, refrigerationes, exsiccationes, humectationes, lassitudines, inanitiones, repletiones, vigiliæ, sitis, fames, vrinæ retentæ, alui constipatio, venarum obstructio &c. Hæc enim omnia molestant homines, &

abla-

ablationem postulant. Quoniam vero habent generationes sensibiles, indicationes quoque manifestas demonstrant, & remedia sensuum analogismis subiecta requirunt. Horum curationes cum partim faciles, partim manuum dexteritate & agilitate perficiantur, Hippocratis quoq; tempore ad Chirurgos demandatæ fuerunt.

Interna seu essentialis Anatomia septem mutationum gradibus, calcinatione, sublimatione, solutione, putrefactione, destillatione, coagulatione & tinctura corporum mutationes, alterationes, productiones, nutritiones, coagmentationes, durationes & consumptiones manifestat. Hæc quicquid in corporum liturgia abstrusum, quicquid sensuum iudicio inuestigari nequit, prodit, purum ab impuro separat, immaturitates perficit, amaritudines corrigit. Harum mutationum potestate, tria prima principia formalia, astralia, inuisibilia, redduntur materialia, visibilia, tangibilia, validis potestatibus, proprietatibus & tincturis exornata in numerum dispartiuntur denarium perfectissimũ, vltra nec citra quem in rebus creatis quicquam reperitur.

Sunt autem hæc: mercurius pneumosus, mercurius cremosus, mercurius sublimatus, mercurius præcipitatus. Sulphur cõgelatum, sulphur resolutum, sulphur coagulatum. Sal calcinatus, sal resolutus, sal reuerberatus. Ho-

rum multiuaria coniunctione, mixtura & vnione corpora naturalia omnia propagationem suam tum virtutum, tum facultatum sortiuntur, nec vlla res naturalis reperitur, quæ sine iis constare queat, vtcunque simplicissima sit. Omnis enim rerum essentia qualiscunque sit bona, vel mala, alimentosa vel venenata his 10 potestatibus, principiis, naturis corporeis perficitur. Quod enim aliæ mercuriales dicuntur, aliæ sulphureæ, aliæ salinæ, idcirco fit, quod mercuriales plus pneumosi vel cremati vel sublimati vel præcipitati: sulphureæ plus sulphuris congelati vel resoluti vel coagulati: Salinæ plus salis reuerberati, vel resoluti vel calcinati, quam aliorum in se contineant. Hinc corpora principii prædominantis passiones, proprietates & tincturas participantia, alia mollia, alia dura, alia crassa, alia tenuia, diaphana, grauia, leuia, aspera, lenta, viscosa, fluxilia, fragilia, flagrabilia, fusilia, odorifera, fœtida, mobilia, durabilia, fugacia, momentanea, viuacia, mortua, alba, nigra, rubra, cœrulea &c. visuntur.

Mercurius pneumosus quid.

Mercurius pneumosus spiritus est æthereus, ignis naturæ vitæ nostræ proximum & intimum indumentum, corporis humani lumen & numen, omnium actionum motor & rector in Cerebri ventriculis hospitari creditur, afflatu suo inuisibili omnem motum perficit, omnes actiones moderatur, cuius proprium est,

moueri

moueri & vitam elargiri. Quod ſi nonnunquam 7. mutationum poteſtate eius motus inhibeatur, debilitetur vel aboleatur, ἐμφυσήματα ſuboriuntur.

Mercurius Cremoſus ſeu deſtillatus arca vitæ noſtræ, ignis ætherei pabulum ac nutrimentum, verum lac virgineum, humidum radicale ſeu primigenium, primum & maximum generationis ſubiectum, cremor dulcis, liquidus, rarus, permeabilis, mucilaginoſus, ſuo madore ac rore partes corporis noſtri irrorat, madefacit ac reficit. Hic ſi permutationum gradus ſummas vires, ſummas poteſtates conſequatur, repentinam minatur mortem. *Mercurius Cremoſus quid.*

Mercurius ſublimatus radicalis humidi ſpiritus acutus, permeabilis, penetrabilis, aerea, fumea, ſubtiliſſima, viuifica & ſpirituoſa eſt ſubſtantia, eſtque τῆς ὑσιώδυς ἢ ὑσίας proximum actionum perceptibile inſtrumentum caloris, ſiccitatis, leuitatis, tenuitatis, ſplendoris, perſpicuitatis, diaphanitatis, ventoſitatis labrum & flabrum. Hic ſi nimium ſuſcitetur, quicquid ferit, pungit & dolore premit. *Mercurius ſublimatus quid?*

Mercurius præcipitatus ſpiritus æthereus vere eſurinus, acidus, acris, vehemens, incombuſtibilis, ignem externum calore vincit, & eſt totius vniuerſum fermentum viuificum, à quo omnia fermentantur & condiuntur, inſita diſſoluendi & contrahendi facultate obuia quæq; cõfringit ac dirimit, validiſſimas *Mercurius præcipitatus quid?*

& duriſſimas ſolis & lunæ portas reſerat. Hi ſunt illi ſpiritus, qui eſuriunt & ſitiunt, & poſt aſſumtam alimenti & ciborum materiam confeſtim aliam nouam appetunt, quam attactam acida ſua & mordaci ſoluendi & conterendi poteſtate confringunt: quæ diſſolutio & contritio, à Medicis concoctio & digeſtio appellatur. Hi cum cætera cuncta diſſoluant, congelationes ſeu indurationes ſiccas patiuntur. Quoties enim à ſuarum functionum officio impediuntur, & exacerbantur & præcipitantur, ſiccas coagulationes maximo cruciatu extremis membris ſine tamen exulceratione infligunt: Vnde morbi ſecundarii: Tophi ſcilicet podagricorum obnaſcuntur. Vnus tamen & ſolus eſt mercurius pneumoſus, à cremoſo nulla arte ſeparari poteſt, nec ſeorſim conſeruari: nec ſublimatus & præcipitatus ab iſtis vel inter ſe eſſentialiter differunt, ſed ſolum aliis & diuerſis proprietatibus, qualitatibus, tincturis & potentiis in conſpectum prodeunt.

Eadem ratione ſulphur vnum & trinum eſt, quod non aliter de ſale intelligendum eſt.

Sulphur congelatum quid?

Sulphur cõgelatum ſpiritus eſt puriſſimus, odoriferus, candidus, dulcis, pulſatilis, caloris fomentum, totius corporis fulcrum, confortatiuum, ſeu lapſarum virium reparatiuum, maximum, in ſolidarum partium conſtitutione: mercurii aciditatem & ſalis amaritudinem

ſua dulcedine contemperat, & ſua viſciditate mercurii volatilitatem cum ſalis fixione conciliat, à quo ſolidiores corporis partes, vtpote ligamenta, oſſa, ne mercurii copia flexilia & ſalis abundantia fragilia reddantur, ſtabilimentum recipiunt, odorum fragrantiſſimorum præcipua origo cenſetur, accenſum flagrat, febrile incendium ſuſcitat.

Sulphur reſolutum liquidam & mollem habet ſubſtantiam, omneſq; partes benigno madore irrorat, dicitur gluten, & eſt humiditas quædam viſcida, calida, ſpiritus plena, blanda, generationi commoda, vi leniendi & conglutinandi prædita, ſi nimium exaltetur, ſoporem inducit & omnes affectus ſoporiferos creat. *Sulphur reſolutum quid?*

Sulphur coagulatũ, viſcoſum, glutinoſum, reſinoſum & fœtidũ eſt à natura, quaſi in flore relictum, inter durum & fluidum mediam conquiſiuit conſiſtentiam, facile incenditur, cum nitro imputo communicat, ideo accenſum multas & nigras fuligines in auram mittit, grauem ſpirat odorem, leui de cauſa diuortium patitur, reſolutorum morborum productrix & cauſa eſt. *Sulphur coagulatum quid?*

Sal calcinatus vitæ balſamus corpus eſt illud firmum, fixum, terreum mercurium & ſulphur in vnum componens, cõgelans, & ſolida reddens cuncta, condimentorum omnium condimentum optimum, aurea cathena, ha- *Sal calcinatus quid?*

mus & viſcus, à quo ſaporum omnium origo deriuatur, cunctarum ſpecierum hermophrodita, nunc amarum, nunc ſalſum, nunc auſterum, nunc dulce eſt: quod ſi mutationum poteſtatem contingit, vt in corpore humano liqueſcat, mollior fit corporis habitus; vnde cachexia, hydrops & cætera œdemata molliora.

Sal reſolutus quid? Sal reſolutus, corpus eſt liquidum, guſtu graue, facultate coagulandi & conſtringendi præditum, & quamuis liquidum hoc ſit, non tamen humectat; ſed potius vi ſuâ conſtringente exſiccat & indurat, ſaporis ſui benignitate cuncta nutrit & conſeruat, propterea Deorum cibus & potus dicitur. Ex officio ſuo dilapſum induratur in nobis non raro in vſneam, arenam, tartarum & in lapides concreſcit, eiuſque virtute admiranda fiunt naturæ opera.

Sal reuerberatus quid? Sal reuerberatus totius naturæ generale eſt lixiuium & mundificatiuum potentiſſimum, corpora quæq; ſordibus inquinata detergendo, reſerando, incidendo, purgando; vomitum prouocando, vrinas ciendo, ſudores mouendo mundificat, viuificat & regenerat. Verus ignis perpetuo vrens, quem licet non videamus, quoniam in flammas non erumpit: Ipſum tamen vere ſentimus: qui ſi in nobis luxuriat, ſibi ipſi ſua acrimonia exitium parat, cutim diffindit & effloreſcit. Huius fructus

ſunt

ſunt pruritus, vitiligo, achores, lepra, cancer, lues Gallica, ſcorbutus & reliqua.

In his 10. radicibus, diſpoſitionibus, poteſtatibus, aſtris, elemẽtis, receptaculis, ſubſtantiis, ſeminibus, ſpiritibus, mineris, tincturis, omnium morborum ortus, periodi, circuitus, productiones & conſummationes deprehenduntur & abſoluũtur. Quæ ſi ad partis loci ſubiecti diſpoſitionẽ in naturæ ſuæ neceſſitatem & exigentiam vnita maneant, pars corporis ſana dicitur: Si vero nolint vnita manere vel per mutationum gradus, vel altiori poteſtate à ſe inuicem diuelluntur, tunc vita periclitatur, titubantes edunt actiones, & morbus præſto eſt, cuius a rocitate corpus in Iliadum Theophraſti tranſplantatur, ſeu ad auos & proauos ſuos in Hippocratis orcum deſcendit, & in Orphei noctem conquieſcit. Hic omnium dolorum finis & terminus.

CAPVT II.

Morbus Mercurialis, Mercurii pneumoſi ἐμφύσημα.

MERCVRIVS pneumoſus quinque Entium Deali, Aſtrali, pagoica, venenali & naturali potentia & virtute, vi ſua motiua nõnunquam orbatur & ingroſſatur, vt præter

naturam in folliculis, membranulis & cauitatibus includatur & subsistat. Visibilis & materialis factus non immerito nomine priuatur, Flatus dicitur. In quacumque vero parte coarctetur ἐμφύσημα, inflationem seu apostema ventosum procreat.

Si flatuosi spiritus inter asperam arteriam in collo, folliculis aut propriæ membranæ inuolucro coarctantur & coalescunt, strumæ, steatomata, atheromata, meliceredes gutturis, hernia, testudo, nata, talpa, lupia, nasco, glandula, nodus, bocium, bronchocele, chærades, scrophulæ censentur: Quæ non solum in collo & ceruice, sed in aliis, inguinibus, lateribus, coxendice, mesenterio, mammis, axillis & maxillis adnascuntur. In his mercurius pneumosus minime otiatur ex proxima sibi associata Minera, nunc melleam, nunc adiposam substantiam seu olei quendam limum, sebum, vini fæces, amurcam, cretam, arenam, calculos, ouorum testas, limacum cochleas, spicas, fœnum, cornua, carbones, vngues, pilos, ossa, claues, ferrum, cuprum, animalia viua & mortua efformat.

Quemadmodum hæc & multa alia admiranda corpora in abscessibus reperiuntur: quæ delirum vulgus philosophiæ imperitum in apostemate, præstigiis dæmonum aut veneficiis anus accidere credit. Dogmatici arbitrantur hos abscessus & in iis contenta, pituitæ afsluxus

fluxus esse soboles. At fieri non potest, vt pituita, & bilis aduocatis quoque cæteris humoribus tam varias formas in generationum lithurgia attingat. Solus pneumosus mercurius mechanica scientia instructus, ex tincturis sali associatis & attractis rerum admirandarum formas pingit & fingit, quod experimento comprobant, qui solerti industria Stiriacas & Carinthiacas fontium venas scrutantur, mane mensis Maii serene nebulas in vertice montium emergentes, ac instar lanæ vel cotti gossypii supra cespitem pendulas velut fontium & metallorum indices dedita opera obseruāt, ibique argenti viui venas subesse coniiciunt. Has hydrargyro infectas venas qui biberint aquas, iis cheradibus & bronchocele tumore à gutture ad pectoris furculam fere pendulo collum turget. Solus autem ἄμυστος credit, hydrargyrum intra cutim ad asperam arteriam, pituitam proritare & occludere: cum eius genuina virtus sit, pituitam cęterosque humores ab omnibus membris magna violentia expugnare. Euidens ergo experimentum est, quod ex mercurio flatu pneumoso, quo hydrargyrū turget, strumæ intra asperam arteriam in collo & ceruice vsq; ad pectus pendulæ ac supra adenas passim venarum in corpore fulcra coalescant.

Si mercurius pneumosus palpebras infestet, fit flatuosum apostema, Alintifar dictum:

Si inter Peritoneum, membranam & inteſtina flatus plurimus coaceruetur, Tympanites generatur: Hoc malo affectus vēter, tympani inſtar ſonitum, ſi percutiatur, edit, vnde morbo nomen inditum eſt. Si plurimus flatus in inteſtinis exitum non inuenerit, tormina & murmura excitat. Si naturæ robur eum per anum excernat, crepitū edit: Si per os, ructum, quem Hippocrates ῥυγματώδην, Galenus inflationem ſtomachi. Eli. Aurel. ventoſitatem ventriculi appellauit. Si partes vmbilicales ſiue medium ventrem infarciat, fit rugitus ventris. Si partes laterales hypochondriorum, gurgulatio vel ſubrugitus dicitur. Si flatus in tunicis & villis inteſtinorū obuolutetur, fit punctio, tenſio, ſtrophus, caraſ, colica & ileos. Si exitum nullum inueniat, cauſat dolorē perforatiuum, in quo patiens exiſtimat, viſcera ſua terebello perforari. Si in inguina vel ſcrotum flatuoſus ſpiritus deuolutetur, ægritudo fit, quæ Græcis κοίλη, latinis tum ramex, tum hernia dicitur. Si in Peritoneum, vel Siphac flatus deſcendat, pneumatocele dicitur, quod nonnunquam in hydrocelem & ſarcocelem tranſit. Si in Ileon, Enterocele. Si in Omentum, Epptocele. Si ad inguina, Bubonocele: Si ad ſcrotum, Oſcheocele. Si ad teſticulorum tunicas, Sarcocele dicitur, & hiſce ſimiles innumerabiles inflationes, varices ſeu glandulas in muſculis, villis & membranis flatus producunt.

Horum malorum causa iam cognita patet, quod frustra aduocentur in auxilium ad auertendum hoc malum, pituitam purgantia; cum hæc deformitas huius progenies non sit: Frustra Enemata applicantur, nisi flatus ab induratis fæcibus in intestinorum anfractibus detineatur: In quo casu solũ Pseudo Galenici punctum tangunt: in cæteris toto aberrant cælo. Frustra castanearum flores, formicarum oua deglutiuntur, quæ flatus gignunt, malum augent. Tota frustra incarminatiuorum cohors cum flatuosa sit, longa serie ad oppugnandum hoc malum producitur. Frustra radix Ireos collo appenditur, spongia crematur, nisi actionem regat vertiginosi Entis pagoici potentia. Corroborantia, consumentia, discutientia, quæ amica quadam conuenientia loca petunt, partes læsas at ingũt, & per insensibilem transpirationem ventum inclusum expellunt, balsamica virtute corporum dissolutiones, ventositatum generationes impediunt, aduocare oportet.

Ex Gal. familia medicamenta ea sunt, quæ ex aromatibus componuntur, quorum laudatissima sunt Antid. ex viperis composita, quam Theriacam vocant, tum, quæ Athanasia & Ambrosia dicuntur, quibus pro pauperibus adiungitur, quod calamintha est coadunatum. Experimur autem indies, & hæc parum prodesse, quamuis nec topica, qualia sunt destilla-

ta, vt oleum philoſophorum & quæ ex cineribus claueteatis præparantur, & quæ gummata in ventre vulpino per aſſationem diſſo'uuntur, minime negligantur. Non temere igitur Paracelſus primum Ens commendat, in quo virtus expulſiua conſiſtit. Hac enim facultate omnes inflammationes, apoſtemata vniuerſa expelli dicunt. Hoc reſoluit, mitigat, expellit, reuocat: Huic adiungi debet practica chirurgica, ſi apertione & extractione opus. Nos
» non igne, non ferro, non inciſione cruenta; ſed
» cauterio potentiali ex clauell. fæcum aceti
» aſque omni perceptione ſeu ſenſatione in v-
» nius horæ quadrante cutim exurimus, exu-
» ſtam ſæuo porcino vel butyro non ſalito ſup-
» puramus. Et ſi apertionem maiorem deſidera-
» mus, radice quadam vegetabili abſq; dolore
» quoq; foramen extendimus, glandulæ ſitum
» extrahimus & reſecamus, vulnus communi
» proceſſu conſolidamus.

PRIMVM ENS.

MIneram Cinaberinam in aqua ſalis coquito, ſic impuritas à puro decidit, parum perfunde quadruplo ſalis circulati, & vna digere in Athanore per menſem, vt tranſeat in aqua ſeparata purum ab impuro. Purum coagula in lapidem, tunc calcina cum ſp. vini rectificato calcem ſolue, ſolutum digere: inde fiet liquor, in quo virtus eſt primi Entis.

CAPVT

CAPVT III.

Morbus mercurialis morbi cremosi conuulsio.

MEmbranarum, neruorum, ligamentorũ dolores & paſſiones à ſolo mercurio oriuntur|: Mercurius deſtillatus neruos ferit, mercurius ſublimatus mẽbranas pungit, mercurius præcipitatus ligamenta & oſſiũ orbitas vibrat, mercurius deſtillatus ſiue à partib. ſolidis, ſiue à cibo & potu ſegregatus poteſtate ſuperiorum nonnunquam per aſcenſum in deſcenſum tandiu circulatur & rotatur, donec cum tenuitate ſummas poteſtates, ſummas vires acquirat. Quamobrem Paracelſus ipſum fulguri comparat. Sane experientia compertum eſt, fulmen non eodem modo omnem materiam impetere & vexare. Nam ſacculis illæſis & nullo modo combuſtis, ſol, venus & luna conflat intus. Manente vagina enſem liquat: inuiolato ligno circa pilæ ferrum diſſoluit: integra carne & interdum nulla ignis aut ictus nota exterius apparente, oſſa comminuat, & vniuerſim firmiora vehementius diſſipat, obteritq; cum lapide, ferro ac duriſſimis quibuſuis confligit, teneris & rarioribus licet flammis oportuna videantur, parcit, & plura alia effecta & miracula fulmen edit. Haud abſimilem

ſimilem naturam mercurius deſtillatus, mutationum gradus obtinuit: Hic in vnam maſſam cogit & colliquat aut cerebrum aut pulmones, aut cor, haud aliter, ac ſi cera eſſet, interim alias partes non lædit; ferit, percutit, inflammat exuritq;, quicquid intra cutim clauditur: ipſam tamen cutim, carnem, fibras, muſculos & cæteras partes molliores non lædit, linguæ loquelam actiuo ſuo halitu exurit: Carnoſam tamen eius ſubſtantiam intactam relinquit. Ratio tunc exulat, oculi conuelluntur, reſpiratio difficilis, ſuffocatio pulmonis torquet: ac homo intra ſe velut muſtum ex vaſe obturato æſtuat, totumque eius corpus flagrat, cum ratione ſermo, ſenſus, motus pereunt, collum intumeſcit & turget, auditus fatiſcit: Ita perculſus, nullis fere malis indiciis præcurrentibus, repente quaſi attonitus concidit, atque ſi acerbum malum eſt, iacet fixis oculis ſine ſenſu, ſine motu, ſine mente, ſola reſpiratione, quæ goſſypio vel ſpeculo ori appoſito exploratur, à mortuo diſſidens, quæ & admodum difficilis mox euadit, & cum ſtertore grauiſſimo, à quo etiam hoc habet, vt vel fortis, vel debilis, curabilis vel lethalis dicatur. Hunc affectum Apoplexiam vocant.

Quamuis autem hoc fulmẽ deſuper feriat: non tamen ob id omnes partes, quas attingit, lædit, ſed potius neruos, pulmonem & cor exurit, quod impedita & difficilis reſpiratio, cordis pal-

dis palpitatio, pulsuum peruersiones, suffocationes, syncope & animi deliquia satis superq; testantur. Imaginatio enim discusso & consumto vapore, qui fulminis ictum antecedit & sequitur, redit vt plurimum, permanente motus deprauatione: quod sane non eueniret, si ab humore quodam neruos obstruente, Apoplexia fieret. Sublata enim causa tolluntur effectus. At quî nerui obstruerentur, cum concaui non sint, excepto optico? Appellemus obstructionem crassam pituitam neruorum origini adhærentem. Sed cur non obseruamus, quod absoluta Apoplexia, vbi cerebrum, imaginatio & discursus, suo iterum funguntur munere, pars quædam externa ad vitæ terminum non raro læsa & paralytica maneat? Inanis fuga est, humorem principium istius membri adhuc occupare, cum superior neruus, à quo inferior, qui læsus est, deriuatur, libere motum edat. Nec fieri potest, vt tanta copia crassorum humorum in nobilissimo membro congregetur, quæ simul in momento omnes vndiq; neruos oppleat, nulla præcedente actione læsa. Num crassæ grauisq; naturæ materiæ, quæque difficu ter mouentur, hoc sibi vendicant proprium, vt tam subitum, præcipitem & tam stupendum motum excitent? Quomodo crassus frigidusq; humor, siue pituitam siue Me ancholiam voces, dum congeritur, & pars eius congesta est, ociosus staret,

vt ni-

vt nihil reipſa prius producat, quam ſero ac tandem maturum Apoplexiæ fructum? Concludimus ergo cauſam tanti mali non craſſæ, frigidæque pituitæ vel Melancholiæ aut alii id genus humori eſſe tribuendum; ſed nebuloſis potius exhalationibus mercurii deſtillati in cerebrum euectis & in eo concluſis, inſtar nubium in aere expanſatum, quæ decidendo neruos, pulmones, cor coarctant, conſtringunt, exurunt, ſicut Spodium vinum conſtringens. Hoc analogice declarat; Spodium vino iniectum velociter circumquaq; extimam vini ſuperficiem conſtringit & congelat, vt cruſta quadam obductum videatur, ne fracto vaſe diffluat: Simili prorſus modo mercurius non primarum qualitatum; ſed altiori inſita virtute in rabiem ſuſcitatus corpora conſtringit & coarctat, vt rigida & quaſi congelata & gelu concreta & erecta maneant, adeo vt in nullam partem flecti poſſint. Hunc affectum Celſus rigorem, vulgus Medicorum Tetanum appellat. Quod ſi neruos ſolum conſtringat, & nō exurat, quarto die à morbo liberantur: ſi autem cum adſtrictione ſimul exurat, quarto die moriūtur. Quemadmodum autem videmus, fulmē muri alicuius ſummam extremitatem corripere, fiſſuraſq; ipſius ſerie recta ita cōnectari, vt vndiquaque diuellendo à ſummo ad imum findat & laxet: ſic & hæc ſideratio interdum deſuper in vnam ſolum partē impingit, à quo tamen

tamen tractionis principium faciens, ductum postea continuum vel ligamentorum vel neruorum, vel tendinum ſequitur: Nonnunquam principium & repetentinum motum abſque læſione tranſilit, mediam vel extremam partem lædit. Quamcunq; autem partem percellit, illius partis paralyſis, pareſis & paralphlogia fit. Si partes anteriores percutiat, ἐμπρόσθονος: ſi poſteriores, ἐπισθότονος dicitur: ſi muſculum ab Anatomicis latum dictum conuellat, fit oris tortura conuulſio canina ſeu reſolutio muſculorum maxillarum, qua os, naſus, oculi & interdum tota altera faciei pars diſtorquetur: ſi arterias & venas afflat, tremorem & palpitationem concitat: ſi leuiter tantum neruum aut muſculum quemcunque tangat, fit ſpaſmus: Si cerebrum, vel rationis cellas deſuper percellat, vel alio membro inſiliat, tunc homo repente ſine intellectu, vel cum intellectu cadit, & ſi vel amens vel ſomno narcotico oppreſſus fremat, ſpumet, dentibuſque ſtridat, membris conuellatur, & ſpaſmus oculos, aures, os, collum, pedes, manus diſtorqueat, lapſuſque velut domus à terræ motu quatiatur, contremiſcatque, Epilepſia, caduco, morbo comitiali, ſacro, magno, ſontico, lunatico, viridello, puerili ſeu puerorum matre vel nouerca potius ſeu Herculeo correptus eſt: caduci & fulguris vna eademq; eſt generatio & cōditio. In tonitru futuro primo obſeruamus,

tempe-

tempestatem mutari, aeremque æstuosiorem fieri, ita vt volucres, muscæq; hãc mutationem sentiant: sic pariter in corpore paroxysmo inuadente prodromus ægritudinis est, tentatio rationis; facta mutationem in primis nubes coeunt, quæ tamen veræ materiæ pars non sunt: sic & in homine nebulæ oculis oboriuntur, incidit vertigo & visus obscuratio & somnus profundus: Hæc omnia in nebula illa proueniunt, quæ soporem & animi grauitatem induci: Hanc prognosin insequitur ventus, nihil suo loco relinquens, obuia omnia commouens & conturbans: similis ventus etiam corpus corripit, hominem ita conturbans ac concitans, vt nullo loco quietus esse queat, sed prorsum vorsum proiectetur. Si venti istius modi quoquouersum perflarint, tum demum horrẽdus tonitru fragor perstrepit, quo videmus cœlum & terram commoueri: Eodem modo & in hominis vesica tonitru rupta corpus quatitur & iactatur, & ita vt interiora vniuersa tremãt, sicut à tonitru externo terra concutitur, donec materia absumatur: Tonitru hoc causa est conuulsionis: conuulsio & iactatio nihil est aliud, quam eruptio violenta & ventus fortiter inclusus, is conuellit, extendit & frigefacit omnia membra: Et sicut cum tonitru coruscationes incidunt: ita ægre quoque oculi coruscant, & flammæ meræ oculis obuersantur: Et vt tonitru sequitur imber; sic

ſic ægrorum iactationem etiam ſpuma ſequitur. Et vti videmus hoc tonitru terram madefactam & vias lutoſas redditas, ita vt aliquo tempore opus ſit, donec ad priorem ſtatum reuertantur: ita etiam in homine ratio, membraq; ac corpus, ſenſus viſus & auditus aliquandiu quieſcunt, donec ſol microcoſmo illapſam mutationem redintegret, & hominem in priſtinum ſtatum reponat: ita tempeſtate finita ſerena ſequitur dies. Hanc ſimilitudinem Paracelſus tomo 4. vlterius proſequitur. Eo modo inſilit tremor cordis, incubus, ſuccubus Epilepſia nocturna imperfecta, ἐφιάλτης, li et à productione horum cerebrum non omnino occupetur, quoniam flatus graues, denſi & frigidi ſunt, in ſuo loco manent, & præcordia comprimunt Hunc Herculeum morbum qui profligare nouit, huic merito, vt olim Hippocrati ob depulſam ex Illyrio peſtem, diuini honores decernerentur; quos Menecrates celebris huius morbi medicus ſibi ademtos noluit, dum nunquã ſane in publicum, niſi ſuis, quos curauerat, ſtipatus purpura, veſtibus, aurea corona decoratus. & ſceptrum in manibus velut alter Iupiter, geſtans prodire ſolitus eſt: Hic ſi etiam Apoplexiam curare ſciuiſſet, forte periculum fuiſſet, ne Iouem cœlo deturbaſſet, & ſe in ipſius ſubſellium conſtituiſſet. At quis rem exuſtam faciet, vt exuſta non ſit? Aut quis ex cineribus reconcinnare lignum queat?

Quicquid fulgur ferit, id cōterit: si membrum vitæ lædatur, mortem infert. Si autem læsio fiat partium aliarum, quæ vitæ ipsi minime præsident, tunc ictus is morbum saltem, non mortem infert: prout enim membra nobilia sunt: ita vel mors vel morbus, isq; aut grauior aut leuior, tutior aut periculosior introducitur.

Cura Galenicorum. Dogmatici nihil intentatum relinquunt. vniuersa auxilia, digestiua, purgantia, syrmaismos, enemata, sternutatoria, irritantia, repellentia, inunctiones, fumigationes, frictiones V.S. scarificationes, cauteria actualia & potentialia, aurum & argentum, vniones, vnicornu, & reliquos lapides preciosos, tam occulta, quam manifesta qualitate ad debellandum hunc atrocissimum hostem in subsidium vocarunt; sed frustra. Purgatione vtuntur, vt pituita & Melancholia, quam statuunt morbi causam, euacuetur; quæ est illorum sententia vndiquaq; peccans. Acribus vtuntur clysteribus, existimantes eos à toto corpore purgare: Cum tamen enemata solum irritent intestina ad expulsionem: proinde mox iniectum medicamentum expellitur, nec ad actum reducitur, nec malum est in stercore; forsan aluus est fluida, nec non raro expultrix in morbi ipsa accessione ob tam feroces motus, vrinam & stercora magno impetu eiicit. Syrmaismus, cum solum ventriculum euacuet, non curat cerebri

affectus.

affectus. Et quis non intelligit, quam in hac agitatione ventriculus infletur, tendatur, æstuet, transuersum septum prematur, pulmones arctentur, cordis semitæ, quas liberas esse & permeabiles oportet, stringãtur; vt omnino mirum videri debeat, si non celerius in hac colluctatione infelix homo præfocetur, non quilibet, vt canis, ad vomitum procliuis est. Sternutamenta acria, & quæ palato, vt theriaca, confect. anacardina, diatrionp. affricantur, quamuis facultate ad expulsionem irritent; verendum tamen est, cum totum corpus tot horrendis motibus concutiatur, ne materiæ peccantes ad partes nobiliores violenta sternutatione detrudantur. Suffumigium cerebri ventriculos ingrediens, quicquid mali in eo continetur, sursum propellit. Vnius enim ingressio, est alterius propulsio, mox maiori impetu cum materia peccante retrogrediens, inuenit adhuc nares suffumigio repletas, cum corporum non detur penetratio, vehemẽtius cor & iecur percellit, cerebrum stimulat, & perturbatum magis irritat. Quippe qui naturalium rerum habentur peritiores, in suis libris decantant, idq; obseruatum perhibent, cum quis caprina pelle contegitur, & aqua frigida conspergitur, si comitiali tenetur, è vestigio concidit, ac se prodit. Succensi caprini cornu, gagatis, myrrhæ, naphthæ, sulphuris, picis, mercurii sublimati, allii, apii, Petroselini,

suffitus, naribus subiectus, conuulsiones concitat; Hinc constat, quod nullum suffumigium tuto adhiberi possit. Odoramẽ: a ex Galliatam & Moscho tam fortem impressionem auertere non poss nt: cum odoratus & reliqui sensus dormiant & quasi catenis conuincti detineantur, sensu motuq; destituti caudicis instar immobiles iacent vel decumbunt, odoriferis minime expergiscantur. Venæ sectio si plethora non adsit, corpus debilitat, vires, quas custodire oportet, eneruat, & sub iudice lis est, an ex pede vel brachio sanguis sit mittendus. In ipso accessionis vigore, si mittatur sanguis, periculum est, ne æger intereat in manu chirurgi: quod non leue dedecus esset Medico. Quinimo quod rite obser iauit Cælius Aurel. in accessione sangu s quasi concretus est, vnde etiam, si aperiatur vena, parum vel nihil sanguinis exit.

Post paroxysmum venam secare vanũ est. Reuulsione, quæ per cucurbitulas cũ vel sine scarificatione fit, nerui, muscul, tendines, à morbo victi debiles & defatigati contrahuntur, magis diuelluntur & resoluuntur; thorax compr mitur, difficultas respiration s augetur: Hinc Apoplexiam frequenter Paralysis sequitur. Cauteria potentialia non nisi longo tempore humores auertun & eruncant. Hoc vero malum nullas inducias patitur, subitaneum requirit auxilium. Cauteria actualia cu-

tim

tim quidem exurunt;sed locum affectum non pertingunt,& si pili igne accendantur,& comburantur vel euel antur, non tamen ob id per cranium inclusus in cereb o vapor, multo minus crassus humor in locum eorum succederet. Similiter inunctiones ex oleis, axungiis & sæuis nuchæ applicatæ, ob suam crassitiem nucham vix madefaciunt, non permeant, non locum affectum pertingunt. Quare nec reuellunt nec discutiunt, nec materiam peccantem consumunt. Aurum & argentum limatum & lotum, vniones, vnicornu, corall lapide. Sapphirus, Smaragdus, fragrantia contrita, lupi piscis ossa, viscus quercinus, spodium, caphura, o'. succini Spu.vitrioli, sanguis humanus, turturum, columbarũ, ol. & sal. cranii humani, lingua pauonum & lusciniæ, vngula Alcis, cristæ viuis gallinaceis dẽtæ, fel ardeæ præptm̃, castoreum, semen pœoniæ, sinapi, ruta & a'ia dogmaticorum arcana, à proprie ate occulta malum hoc depellentia, vt plurimum, paruum aut nihil profuerunt, & demum deuentum est, vt Eunuchismum maxime commendarint: verum quam pie & humane, ipsi viderint: cum & si..e testibus Epilepsiam & Apoplexiam incurrerere possint.

Quid ergo tandem agendum? Curæ omnis " summa eo dirigi debet, vt mercurius in hu- " mectatione permaneat, ne eleuatione à cæte- " ris segregetur, acuitatem & summas potesta- "

tes contrahat; sed in mucilaginositate sua, in debita sulphuris & salis harmonia & amica cõiunctione conseruetur, eo præstito, cura absoluta est. Quid vero mercurio magis adhæret, & ei intime agglutinatur, quã mercurius? Mercurius Essensificatus, purus, & dulcis manna, & tanti mali fuga est, arcanum vitæ nostræ, in qua vita longa absque morborum cruciatu gliscit, verus orizei succus, in quo vis & operatio tam insignis & admiranda est, vt gradus ad mercurii correctionem & emendationem nullus sublimior inueniri queat. Mercurius in mercurio emendatur, nec contrarium contrario impendi, sed proprium ad suum innatum accommodari debet. Nam cura omnis ex eo procedit, quod morbum & eius locum generauit. Huc famulari possunt arcana externa, de quibus Paracelsus tractat. 2. de morb. contract.

MANNA MERCVRII.

MErcurius tantisper sublimationum colobiis eleuetur donec in fixam crystallum abeat. Hoc sub solis Eclipsi, vel spiritu primi vegetabilis per repetitas destillationes & digestiones in ol. dulce soluito, solutum cũ sole coniungito, vt fermentum eius hoc ipsum fiat, & coagula iuxta Hermetis præceptum.

CAPVT IIII.

Morbus mercurialis ſublimati Stigma.

OMNES ægritudines, quæ interius punctiones cum feruore cient, apoſtemata ſanguinea infligũt, plenitudinem circa pectus aut ſitim mouent, adeoq; morbi calidi abſque mercurii accenſione, hoc eſt, febre, ſicci & acuti ſunt, ex mercurio ſublimato oriuntur. Intenſius digeſtiuæ virtutis, exercitii, vel aſtrorum calor mercurio inſito vel inſerto potentior illum eleuat, agitatq; velut lignum quod ab intenſo ſolis ardore incenditur & ardet: Sic quoque mercurius ab externo peregrinoque calore aſcendit, incenditur & ſubtiliatur, vt ad eſſentiam ſupremam perueniat, tunc nequitiam ſuam perficit, maniam, phreneſin, amentiam, ſyncopen & veſaniam illam, quam Melancholiam vulgus vocat, gignit. Hæc & alia plura ſymptomata ex mercurii ſpiritu gignuntur, qui aſcendens, exituſque quærens, cerebrum & cellas memoriales & iudicii lædit. Si ſpiritus mercurialis præcipitatus, meningas penetret, Maniam, phreneſin, typhomaniam & paraphreneſin ſuſcitat: ſi dimidiam capitis partem infra cutim ferat, hem craniam efficit: Si fortiter ſe membranulis ſe inſerat, cutaneum inpr mis dolorem, nempe Cephaleam, clauum, galeam: Si leuiter tantum attingat, ce-

phalalgiam, quam Arabes Sodam vocant: Si musculos vibrat, capitis dolorem cum sudore: si cordis capsulam, palpitationē mouet: Si laryngem & fauces subeat, fit angina, squinantia, synanche, cynanche, paracynanche dicta: Si diaphragma inquinet, pleuritidem ingerit. Si liquorem vitæ apprehēdat, pestes, anthraces, post aures, axillas & inguina protrudit. Quicquid mercurius sublimatus sua volatilitate apprehendit, illud frangit & dolore premit, absque flamma, sola rubificatione seu ignitione se prodit. Mercurius enim in fumum abit, calefit & ignescit; sed non flagrat, non ardet, non liquescit, quod propriū sulphuris est, & tamen mercurius sublimatus sæpius suo calore ac motu sulphur accendit: Tunc mania, angina, pleuresis, pestis cum febri, periculosiores & magis lethales sunt, quā sine sulphuris ardore. Dolores ab intemperie excitati cum ad morbos externos referantur, facile suo contrario sedantur: Qui vero à mercurio sublimato infliguntur, constantiores radices figunt, nec per purgationem expurgari volunt; cum humores capitis dolorem non inferant, non imaginationem peruertant, quæ in Melancholia, mania, pleuresi & peste læditur; Demus? Quod crassus humor in cerebro colligatur: minime tamen is imaginationem, discursum & memoriam peruertet, cum nihil intellectū nostrum ingrediatur, quod non ab omni materia sit denuda-

nudatum, sensus communis phantasma elicit; vnde species intellectibiles, quæ imaginationem & discursum regunt. spirituale quidem in corpus agit; sed non corpus contra in spirituale.

Quod igitur crassum est, imaginationem non destruet, nec phreneticos, nec minaces ad quæuis miracula patranda agiles & propensos; sed potius stupidos & ignauos reddit; Spiritus solum tantam vim in imaginationem habent, vt non tantum opera propria; verum etiam externa vario & diuerso modo fingant, eaque instigent, vt præter communem hominum sensum, absurda imaginentur, loquantur, & praue operentur. Externa, quæ dolorem capitis, maniam, phrenesim suscitent, pituitoso vel Melancholico humore nō scatent, vt sunt dactyli, crocus, Myrrha, oliuæ, grana sauinæ, paradisi vocata grana, gran, lupin. felis cerebellum & hisce simi ia, in minima quantitate deuorara homines à ratione deiciunt, vt ne seipsos quidem noscant, idque præstant, non humorum qualitatibus, non superstitionis virtute, vel veneficii potentia, malorumque spirituum concursu; sed ex interna & propria natura, conditione, virtute insiti mercurii, Horum compages ab Archæ soluta mox mercurius sublimatus in iis abundans anteriores cerebri cellas obrepit, rationem euertit, quia tamen ob tenuitatem totum non impiet, neruj,

vt in Epilepsia, non vellicantur. Stultum esset credere, quod Dactyli, crocus, myrrha, grana salinæ, pituitam vel Melancholiam producãt, vel in eam tam breui temporis spacio transmutari possint, vt tam cito memoriam euerterent: nec purgantibus alleuiantur, sed discutientibus, exercitio, somniferis eorum potestas infringitur & pax amica reconciliatur. Pestem & reliquos anthraces, carbunculos & apostemata sanguinea, ex vapore venenoso gigni, cum Endemii, epidemii & sporades sint morbi, soloq; afflatu transplantentur, coniectare non erit arduum. At qualis ille fuerit, & ex quo genere Veneni hactenus malum illud prognatum, paucis fuit cognitum. Putridum aerem omnes accusant, sed quomodo corpus inuisibile & prorsus spirituale putrescat, pauci norunt. Aer inuisibilis quidem substantia: attamen corporea; Ex primis ergo vt constet, necesse est; Sunt autem in ipso aere tria prima; soluta, aperta, libera: ideo aer cuncta perflat, penetrat: sulphur congelatum in ipso aereum, hoc est, in atomos dispersum, aerem siccum reddit, mercurius ei motum præter alimentosum cremorem impertit, vnde humidus cuncta creata nutrit: à salis spiritibus tenuitatem nanciscitur, vt cuncta permeet: Similiter ignis ratione sulphuris inhærẽtis flagrat, sicut naphtha, quæ aqua non extinguitur, ratione mercurii lucet, spiritus salis in eo vrit: Diuersitas
autem

autem actionum diuersitatem subiecti & primi Entis postulat, quæ in tractatu de morbis salinis cap. de elementis morb. & mort. prolixius declarauimus. Resoluit igitur sese sulphur per sp. salis in liquore mercurii, & factus est aer à cœlo vsq; ad terram distributus: ideo albumen cæli medium interstitium, clarum chaos, subtile & diaphanum vocatur. Omnis enim crassities, siccitas & congelatio primorum corporum in eo soluta & segregata sunt, nihilq; aliud est aer, quam fumus inuisibilis sulphuris, mercurii & salis, sine quo nulli viuere liceret. Aeris igitur sulphur, si in sale humido soluatur ac segregetur, mercurius salis spiritibus sublimetur, tunc acuitur, ac summam tenuitatem & peruersitatem contrahit. Hic tota materia seu substantia spiritibus naturis, sulphureis vitalibus, vitalium actionum opificibus contrariatur. Hæc aeris alteratio fit ad mentem Hippocratis, quando in æstate pluit guttatim, tunc aeris sulphur in lenta pluuia dissoluitur, & aer fit nebulosus & turbidus. Mercurius in forma albi pulueris supra arborum folia cadit, & in aere volitat, qui attractus pestem parit. Hic venenatus mercurius tantæ est actiuitatis, tantæ potentiæ, vt omnem possit maculare humorem, vnde nec sanguineis, nec melancholicis, nec phlegmaticis, nec cholericis parcit. Atque temere nonnulli comminiscuntur, minus metuendum esse iis, qui po-

ros constrictos habent, cum venenum hoc adeo subtile & potens sit, vt sæpe per oculos recipiatur: receptum vero confestim magna celeritate spiritus nostros vitales adoritur, oppugnat, & in suam naturam eos fingit, formatque, salem sub axillis, auribus vel inguinibus coagulat, sulphureos spiritus nostros accendit, cor perfodit, cerebri membranas inflammat, vnde ardores, punctiones, capitis dolores, difficiles respirationes, cordis palpitationes, mania, phrenesis, syncope, animi deliquia, & alia horrenda symptomata, vt ex illis omnibus malis in peste cōcurrentibus cōuincitur, hæc cuncta ab vna communi causa mercurio sublimato excitari: Quæ in tractatu nostro de morbo mercuriali declarauimus, nō opus hic repetitione. Hæc furia non raro integras ciuitates depopulatur, non vlla alia antidoto profligatur quam quod Xeneston impertit. Caue, ne arbitreris, nos pagoicum amuletum Hydragyrum nuci auellanæ inclusum intelligere. Mercurius est, qui leui artificio à rebus, in quibus dominatur, separatur vitali potestate, virtute diaphoretica expulsiua dotatus, omnem mercurium sublimatū per insensibilem transpirationem dissipat & consumit, cataractas cæli aperit, calorem omnem extinguit, læsaq; membra reficit. Ex vegetabilium regno Artemisia in solium suum euecta, cunctis alijs serenitate, claritate, suauitate & potētia præfertur.

Cuius

Cuius ſapiētia tanta eſt, vt facile hunc hoſtem vincat, ſimul per ſudorem, vomitum, ſedes & vrinam, natura duce è corpore humano hanc nefandam furiam cum omnibus ſuis ſatelli ibus, aſcar dibus, cucurbitaris & lumbrici eiiciat, nec huius reginæ potentiæ æquiparātur, Imperatoria Angelica, Athanaſ. Ambr. The-r aca, Mithrid. Alkerm. conf. de ſmarags. de hyac. de ouo & alia hiſce ſimilia. Cum mercurius in iis omnibus à cæteris tincturis & poteſtatibus nō ſit depuratus: morbus autem omnis eo cure ur, ex quo oritur, autore Hippocrate. Nullus, inquit, morbus auxilii & remedii eſt expers: pleriq; h s ipſis curantur, à quibus etiam naſcun ur. Non tamen refragamur, ex odoriferis, aromatibus, viperis, & pr ecioſis l pidibus Bezoardicam v rtu em extrahi, ſi multum labor s ipſis impendatur. At f uſtra vinum aduſtum ex plumbo, ex ſtramine vel pumice comparem, cum id vinum & frumentum leui adhib ta ſ pa atione copioſe elargiātur. Ne igitur arcanorum inquiſitores laboribus defatigemini, mementote Xeneſton verum El xir ex auro erui, eius ſpiritus ſummum huius mali eſt Alexipharmacum; quippe in peſtis cura cum ea vulnus ſit, ali d conſiderandum non eſt, q iam vt incarnatiuam præbeamus. Aurum autem incarnatiuum eſt maximum, ſi à rubro eius mercurio vis laxatiua ſurſum adimatur: in omni enim auri præparatione, id

ne, id summum est, vt ab eo id aufferatur, quo non opus est, si in peste purgandum non est. Sol autem est laxatiuum, confortatiuum, constrictiuum; laxatiuum spiritu mercuriali esurino auferatur, cætera conseruentur.

XENESTON.

AVRVM per ignem calcinatum sublimetur cum salmiac. sæpius sublimatum in sp. Tartari per mensem circuletur, seu coquatur, donec abeat in mercuriũ, tunc præcipitato, dulcorato, & vim laxatiuam spiritu mercuriali acetoso adimito.

CAPVT V.

Morbus Mercurialis, Mercurii præcipitati Arthritis.

MERCVRIVS præcipitatus Digestione, circulatione adeo subtilis fit, vt propter naturæ potestatem interiorem nihil ei resistere queat, cum reliquæ duæ substantiæ propter caloris intensionem, cuius vi reprimuntur, ipsum edomare nequeant. Hinc vsq; adeo subtiliatur, vt & carnes & ossa penetret, atq; non per poros tantum, sed etiam extra illos transsudet & peruadat: Quamobrem non tantum in artuum, manuum, pedumq; articulis sedem figit,

figit, ſed etiam capitis iunctura ſeu cõmiſſuras duorum oſſium coeuntium cartilagine aut medio alio iunctorum occupat, veluti os naſi & frontis, & quæ galaxicis poris diuiduntur, vt oſſa ceruicis, maxillarum, amygdalarum, menti, regionis aurium, oculorum, & horum orbitæ, vbicunq; huiuſmodi in capite coalitus & diuiſio oſſiũ, aut poroſa galaxa apparet, ibi mercurius præcipitatus ſæuiat, à collo per vniuerſam ſpinam, vt omnia oſſa axillarum, humerorum, furcularum ac ſpondylos omnes, vſq; ad coccygos os, vbicunq; articuli intercurrunt & ſynouia viget, in exordiis & terminis, vbi cartilaginibus oſſa vniuntur, in thorace, pectore, in coxa, femore, oſſe ſacro, genubus ac genuũ poris ſeu ſpongiis extremitate inferna cruris & malleolorum ac cæteris omnium oſſiũ iuncturis. Item ſuperius in brachiis, vbi os humero inſeritur in cubito ipſo & eius omni ambitu, in carpo, in omnibus cauitatibus, vbi duo oſſa vniuntur aut coniunguntur, mercurius præcipitatus ſuam exerit nequitiam, ſiue concitetur à cibo, vel potu, ſiue à periodis lunæ & tempeſtatum à Venere, Marte, via, exercitio, balneis, quod æger Medico melius nouit, nec id facile ex volatu alituum ſeu auium, vrinæ inſpectione, pulſu, pulicum morſu diuinetur, nec multum in curatione negocii faceſſit, à quocunq; fabricatum ſit, factum infectum fieri nequit. Tranſeunt luna, mars, venus, crapula Arthritidem

fidem Medico auertendam reliquerunt cum tumore, calore, rubore, nouissime materiæ magna induratione sequitur, qua artus à se inuicem diducuntur & distenduntur, ipsaque proportio membrorum Geometrica peruertitur, distorquetur, articuli occallescunt, indurantur nec flecti queunt: vbi omnium postremo lapides in articulis nascuntur, vt propter nimium eorũ augmentum ægris pereundum & occumbendum sit. Eius morbi dolores immanissimi, non ex affluxu pituitæ, bilis, Melancholiæ aut serosi humoris irretiuntur spiritus berberizati, aluminosi, acetosi, æruginei ex intima ossium medulla, tanquam ex lacu venenoso eructantes, synouiam, candidam illam virginem, cremorem vitæ dulcem appetunt, eo ipso in momento maximum suscitatur incendium, haud aliter, quam aquafortis in qua ferrum solutum, si repente cum oleo Tartari cõmisceatur, citra pyracmonis operam sese mutuo incendunt, vt flammas eructent. Non aliter ingens duellum, vehemens ardor, magna inflammatio, commixtione mercurii acetosi & dulcis synouiæ excitantur, nec æger aliud sibi imaginatur, quam quod sentit membra ipsa quasi flammis vri & exagitari. Sicut enim ignis & aqua si combinentur, ob contrariam naturam fumum vrentem eructãdo sese mutuo iugulant; idem & in hoc affectu euenit. Spiritus acetosus agit in vitæ cremorem, hic

agit,

agit, vnde fumus acutiſſimus ligamenta, neruos, tendines vibrat, & niſi vitæ cremor ob excitatos dolores vicina membra in ſubſidium vocaret, mox vtique ſuccumberet: Verum caro muſculi, & fibroſæ partes ſuum liquorem ad locum affectum mittunt in ſynouiæ ſubſidium, vnde tumor; quo tandem ſpiritus acetoſi ſuffocantur, tum efferueſcētiæ ſpirituum ceſſant, dolores mitigantur, & ſynouia victoriam non ſine ligamentorum, neruorum ac tendinum lucta & luctu reportat. Cæterum videmus, acetū tepido lacte infuſo, confeſtim coagulum fieri, quód in durum caſeum tranſit: idem hic quoq; animaduertimus; ex vtriuſque ſpiritus acetoſi, & dulcis ſynouiæ conflictu fit coagulum album lapideſcens, quale ex inciſis podagricorū tophis eximitur. Vtriuſq; igitur vna eſt generatio, res vna, effectus vnus: Synouia nihil aliud eſt, quā lac dulce, quo corporis partes aluntur & nutriuntur. Spiritus præcipitatus eſurinus nihil aliud eſt, niſi acetum. Hæc ob contrarietatem ſe nūquam compatiuntur, vbicunq; ſe offendunt, digladiātur, duratque hæc pugna, miſeranda hæc carnificina, donec alterutrum vicerit. Dogmatici ex partium affectarum numero & ordine, ſequētes huius mali conſtituerunt differentias; Si ſpiritus acetoſus carpi & digitorum ſynouiam impugnet, chiragra nuncupatur: Si malleolorum vel digitorum pedum articuli doloribus

Synouia quid?

illis excrucientur, podagram appellant. Si genua infestentur, Genugra: si in coxendicis aut inguinum regione inferna adsit, Ischiadicum dicunt. At quando simul multi articuli doloribus diuexantur, Arthritides nuncupantur. Quorum omnium vna est generatio, vnus modus, vna curatio. Nec in Petro ex pituita, in Paulo ex bile, in illo ex Melanch. in alio ex permistis humoribus hoc malum nascitur: Vnius enim morbi vna est generatio, non varia. Filix vuas non profert, nec quercus mala granata. Podagræ corpus est inuisibile . . . . . . forma vel index seu prænuncius doloris acuti; non tamen exulcerantis in articulis, non vagum, vel indefinitum, sed ex certo prædestinato stiptico spermate plane inuisibili nascitur; quod eius principium satis declarat, in quo illico acerbissimi dolores sentiuntur, nullo humorum confluxu, nullo tumore apparente, solum ruboris vnico puncto se prodit; qui sane rubor flamma ignea, erodenti flos, nullius pituitæ, quæ alba, nec bilis quæ flaua, nec Melanch. quæ nigra est, fructus seu soboles sunt. Quodsi rubedinis originem in mercurio præcipitato esurino latere cognouissent, dudum Galenici bilem, pituitam, melancholiam cum cæteris humoribus ex morborum lithurgia eliminassent. At quomodo crassi tumores ob genuinam topicorum medicamentorum adunationem ex vno membro in aliud transilirent?

lirent? Ex sinistro pedis articulo in dextræ manus digitos commearent? Non tamen aliter Podagra se gerit: medicinæ & ipsi medico illudit. Res fere eadẽ est, ac si quis infanti pomum ostendat, non tamen porrigat: ita & podagra Medico illudit: dum enim iam remissior videtur, è vestigio cum doloribus multo atrocioribus in aliud membrum insilit: idemq; fere hic accidit, quod domino cum Morione suo colludente, vbi Morio medicus est, dominus autem morbus. Ad hunc sane illusum non crassi humores, non sanguis, non bilis: sed agilis & mechanica intelligentia desideratur. Hinc mirum videri non debet, quod Podagra incurabilis in scholis proclamata est, in intimis ossium medullis sedẽ locauit: quæ si Medicinam subolet, mox retro graditur & in antro suo fortiter munito se occulit. Ad lunæ aspectum iterum egreditur, medicum prouocat & more suo ludit. Quicquid tamen in corporum Anatomia peregrinum, quicquid superfluum est, adimi potest; alioquin trãsplantatio inane erit nomen: quamuis magna industria, constantia, & perseuerantia sit opus. Radices enim podagricæ in lithurgia humana, longa digestione & circulatione ad exaltationes & extremitates potestatum, fixarumq; tincturarum authores peruenerunt, nec crudis ac indigestis medicinis obedire volunt: frustra enim innoxia intestina clysteribus acutissimis, suppositoriis &

mille tormentis defatigantur: frustra ministeria pil.aggg.& fœtid.ex hermod &cum helleb. troch. alhund. iracundiora reddita aduocãtur. Mercuriales spiritus siccas coagulationes molientes nõ expurgari, sed exterius mumia, non carne humana exsiccata; sed bubulina recenter mactata resolui debent, humectari, sudore, madore, vel insensibili transpiratione discuti: ita tamen, ne mitigatis doloribus, caloribus & dolorosis omnibus sympt. violenta fluxionum attractione sopita requies naturæ concedatur, & corroborata synouia viciniſq; partibus tam inimicos hospites non facile in posterum admittant. Hoc consilium in omnibus morborum curationibus locum habet; Mania, cephalalgia & similes morbi dolorifici duplices habent medicationes particulares: Quædam enim dolorum vehementiam respiciunt, & topica medicamẽta anodyna appropriata propriam mumiam concupiscunt Quædam vero radices ipsas, resolutionem, consumptionem, ablationem morbi postulant. Huiusmodi siue ex vegetabilium, siue ex animalium, siue ex mineralium œconomia aduocentur, præparationem & virtutum exaltationem requirunt. Quis recte corporeos spiritus spiritualibus tincturis vnquam opposuit? In vanum surrexerunt gigantei aduersus Iouem, rectius pygmæi cum Gruibus certamina instituunt. Resoluentia, mitigantia & corroborãtia mixtionem

nem admi tunt, & vno eodemq; balſamo abſolui poſſunt, in vno vitæ Mercurio amica coniunctione coadunata ſunt, quo radicitus podagricæ tincturæ tam interius aſſumto, quam exterius ſuffumigio eradicantur. Huius vires ex ſpecifica ſua prædeſtinationis qualitate tam potentes exiſtunt, vt purum ab impuro, vetus à recẽti, ſenectutem à iuuentute, manuum & pedum vngues eiiciendo & pilorum canorum radices euellendo efficaciſſime recuperet. Hic Miſochymici cum ſtulta plebe obſtrepunt; Medice cura te ipſum. O male feriati genii vox flagris digna; Quod Deus & natura tranſplantationum lithurgiæ abnegarunt, præſtolari audes? Audin' carmen Euripideum contra Carneadem, quod flos illibatus populi Suadæque medulla. Tullius in Tuſcula. tuetur. Mortalis homo eſt, quem non attingat dolor morbuſque: multi ſunt humandi liberi, rurſum creandi, morſque eſt finis omnibus, quæ generi humano nec quicquam afferũt: Reddenda eſt terræ terra, tamen vita omnibus metenda, vt fruges, ſic iubet neceſſitas. Hanc mortalium nullus fugit neceſſitatem, quocunque tandem dolore morbus irruet. Qui ex propria intemperantia podagrici dolores obnaſcuntur, Aonidum arte leniri & funditus tolli poſſunt: Quos tamen Galenici incurabiles proclamarunt. Quapropter à Paracelſo hoc ſarcaſmo perſtringuntur: Neſcit tartaream Ro-

ades curare podagram. Qui vero ex parentum ſemine, iubente neceſſitate digeſtis maturitatum & exaltationum temporibus quieto ſilentio expectatis effloreſcunt, nulla arte ſtante via eradicari queunt: quoniam mali cauſa ſolidas partes corporis conſtituit, iiſq; intime adhæret: Quarum reſolutio certis tempeſtatum mutationibus in paroxyſmum irrumpit: conetur medicus, in quantum licet, tempus prædeſtinationem, reliquarumque ſignaturarum, tranſplantare, ſocietatemque ad perniciem feſtinata celeritate ducentē interrumpere, penitus auferre non expedit. Leges enim naturæ inuiolabiles ſunt; contundas horum impetus, incendium tamen ſemper recurret, donec ad maturitatē & cōſummationem peruenerint. Interim prophylactica conſolatione, Dei benignitate, hactenus non deſtituti à contracturis & tophis membra vindicauimus. At cui fortuna adeo conſtans obtigit, vt non tantum experiatur, multa inter os & offam contingere, quæ ſingula enarrare, non eſt huius loci, nec propterea ab arcanorum inquiſitione animus abalienatur. Quamuis vuarum maturitas in autumnum vſque prolongetur, tandem aliquando veritas & lux naturæ emerget, πανάκεια è veſtis fimbria enaſcetur, renouabitq; omnia.

MER-

MERCVRIVS VITÆ.

Aquam lacteam ex pi. reguli & duabus mercurii essensicati destillatum rectifica, solue, coagula.

CAPVT VI.

Morbus Sulphureus sulphuris congelati cauma seu igneus ardor.

Congelatum sulphur à specifica suæ prædestinationis qualitate, constantem formam & fixam naturam obtinuit, vt omnem alterationem calcinationis, sublimationis putrefactionis, solutionis, coagulationis vim & potestatem omnemq; mutationem respuat, à nemine ob amicam & blandam suam dulcedinem, quam cunctis aliis impertit, subtiliter impetitur; sed vicinæ potius omnes huic languenti refrigerium & suppetias ferunt. Quapropter nulla alia affectione è suarum facultatum munere perturbatur, quam si vel motu, vel retentione calida expirationis, vel vicinia rerum calidarum accendatur: Ad ardorem & flagrationem solum propensionē habet. Hinc corpora seu mēbra plus sulphuris impuri participantia facilius accenduntur & altius flagrāt. Symbolum eius, quo à resoluto & coagulato noscitur, est id ipsum, quod nullam aliam alterationem patiatur, præter incensionem, nec

accensum fœtet, nec multum fuliginis spirat. Coagulatum præter accensionem resoluitur, solutum coagulatur, cōmunicant hæc secum, quod pessimum foetorē & fuligines in aerem spargant, vimq; narcoticam exaltata sensibus imprimant.

Spiritus sulphurini coagulati, sedem suam in corde locarunt, & per arteriam aortam ad omnes corporis partes feruntur, exinde ad singula membra reficiēda per διαπήδησιν trāsfunduntur, vt nulla eorum benignitate destituatur. Quocirca accensi non vnicam tantum actionem lædunt; sed igneo suo calore, ardore, flamma omnes in vniuersum violant, debilitant, abolent. Sulphuris igitur congelati à cæteris recessus, cauma, igneus ardor, flamma est. A diuersis locis affectis, in quibus spiritus accensi sulphurei gliscunt, diuersa nomina febrilis hæc furia sortitur: Si in cute sulphur accendatur, erysipelas, ignis sacer, herpes cutim deuastāt. Si oculum inflammant, ophthalmia: si in visceribus & membranis ardor sæuiat, à latinis inflammatio, rectius Græcis φλεγμονὴ, φλόγμωσις & ἐπιφλόγισμα igneus ardor & flamma dicitur. Si in venis ardeat, febris diaria, si in arteriis Ephemera, si ardor æqualiter perseueret, σύνοχος, ὁμότονος. Si illico decrescat ἐπιμαστικὴ: Si ascendat, παρακμαστικὴ dicitur. Sin in venis & arteriis simul flagret, fit synochus putrida. Si & in his & in cæteris ca-

uitatibus accendatur, causos dicitur lypyria, quando flamma adipem liquefacit, vnde externa frigent, internis vrentibus: hæc in Helodem transit, si totum corpus instar assatæ carnis diffluat. Si pectoris tunicis inhærens sulphur flammam conceperit, Assodes: Si in cordis vicinis partibus, idem sulphur inflammetur, cardiaca, in solidis partibus, hectica, marasmus nuncupatur. Hæc causam, vt cum Galeno loquar, non habent. Intermittentium febrium forma licet in ardore sulphuris consistat; fomentum tamen habent, quod dissolui & expurgari debet. Quam ob rem intermittentes ex verorum morborum ordine eliminantur, & ad externos morbos, ad obstructionem & auctam magnitudinem referuntur. Febris quotidiana fit, quando fœtidum sulphur cum dissoluto mercurio & impuro sale in stomachi vacuitate in globum conglomeratur. Si in regione hepatis talis massa coaceruetur & accendatur, fit tertiana. Quartana, si circa lienem similis materia congregatur: Quarum periodicationum causas, productiones & curationes in tractatu nostro de morbis sulphureis explicuimus: acta agerem, si illa hic repeterem. Præuideo hunc nostrum sermonem primo intuitu à Pseudo Galenicis, mille ludibriis contemtum iri, quibus inexpertum vulgus facile applaudit, cor nostrum ipsius ignis violentiam stante vita in momento quidē perferre posse; si

tamen hæc nostra dicta & experimenta paulo altius, quam ad Galeni censurã ruminauerint, futurum omnino mihi persuadeo, vt, quam doctrinam antea irriserint, ambabus amplexentur manibus, nisi conscientiæ improbitate compulsi, quanquam veterum præclara monumenta pro stultitia & crassa ignorantia irrideant & flocci pendant, cum quibus ego luctari nolo: Vos vero arcanorum inquisitores hæc pauca obseruate; si nuda intemperies seu simplex caloris excessus in corde febrem suscitaret, nulla daretur intermittens. Intemperies enim facta nullos circuitus obseruaret; sed continuo vreret & ad sui destructionem vsque fixa in corde hæreret, actionesque læderet: At in intermittẽtibus cõsumto paroxysmo ægrotantes validas iterum exercent actiones, neq; ægrotare videntur, nisi aliunde actio quædam læsa sit. Vel igitur febris intermittens non est febris: vel in intermittentibus in corde nulla est intemperies: hæc enim actum suum nescit suspendere: Maius ergo incẽdium in febribus suscitari oportet, quod sane causo correpti sentiunt, quoniam viscera igne exuruntur, quamuis eius flamma sub aspectum nostrum non veniat. Neque quouis modo calor, quod nobiscum dogmatici fatentur, licet vergat ad ignem febris est; sed cum adeo igneus redditur, vt vi ç muneribus officiat, ille, qui nõdum eo peruenerit, vt actiones lædat, neq; febris censetur,

 neque

neque morbus. Quapropter febricitãtes non dicuntur, qui ex labore, ex via, æstu incalescũt, ante consuetorum munerum vacationem. Febricitantium igitur calor eatenus necesse est ad igneum vergat, vt vitæ munia impediat, calore in quibusdam partibus aucto. Gaudent enim quædam partes magis calore, quædam magis frigore, calidus poterit esse morbus, non tamen febris, nisi cor lædatur. Cor autem cum arca vitæ sit, maximum in sinu suo calorem fouet, quo maior citra incensionem nec incendi, nec dari potest, quam in corde fouetur. In huius finem substantia cordis firma & dura à Deo formata est, vt summus calor in ea conseruetur. Vita quid est aliud quam ignis, si peripatet. doctrina adhuc triumphet. Hinc Anatomici asserere non verentur, in hominis corde tantum ardorem foueri, qui si manu per viuentis hominis cutem tangi posset, non secus eum, quam ignis vrat. Simplex igitur calor ad quemcunq; gradum eleuatus cordis actiones nunquam euerteret. Huius rei euidens testimonium Epilepsia, Apoplexia, Mania, phrenesis & reliqui morbi mercuriales perhibent: horum morborum peruersitatibus obnoxii præ nimio calore æstuant, sanguis in venis & arteriis efferuescit ac intumescit, nec nõ acerrimis & vrentibus doloribus excruciantur: nulla tamen febre præsente: quæ si non raro superuenerit, æstuantes illos chronicos morbos

bos ſanat; quod feb is in æternum non præſtaret, ſi nuda eſſet intemperies cal da. Calor calorem non deſtruit, nec conſumit, ſed intendit, perficit, auget, cuius vis & actiuitas ſolum in mutatione, non in conſummatione verſatur. Ignis ſolũ tam potens eſt, vt ſpiritus mercuriales omnemque corporis immunditiem diſſipet ac cõſumat. Hoc forſan reſpexit quidam Italus, Germanos indignos reputans, vt Febre decumberent. In ſuppuratione vehementem calorem deprehendimus, qui ignis effectus æmulatur, in partibus vbi nullæ ſunt arteriæ, pulſat, carnem & cutim non ſecus ac ignis exurit, puſtulas excitat, & cætera ignis munia exequitur: vt negari non poſſit, igneum calorem in qualibet ſuppuratione vigere: non tamen febrẽ accerſit, niſi ſulphurei ſp. accendantur, haud aliter, quam id, in putrefactione fimi colũbini videmus; inde exſpirãtes acres fuligines adiacentes ſtipulas & feſtucas accendunt. Idem plane in corporibus noſtris nonnũquam cõtingit, ſi ſuppuratio magna fuerit, vel circa arterias grandiores exitum non inueniens, tum ſiccas exhalationes cordi impertit, quibus ſpiritus incenduntur. Vbi igitur ignis effectus, ibi & ignem eſſe oportet, nec propterea admiremini vitam conſeruari poſſe, quamuis ſpiritus vitæ ardeant. Vita ignis eſt ſp. vitæ ex congelatorum ſulphur. genere quid aliud, quam vere ſulphur incombuſtibile? Hi

Itali cuiuſdam contra Germanos ſcomma.

ſp. ma-

ſp: magnam latitudinem admittunt, quidam cremabiles, quidam incremabiles, qui nõ niſi à magno igne igneſcunt. Similes his videre licet quando metalla funduntur : Ibi enim in ſuperficie ardentes ſpiritus variis coloribus tincti, cærulei, rubri virides apparent, huc & illuc concurrentes, ac ſi chireonomia inuicem luderent, iucundum ſpectaculum viſum mirificè oblectans. Hi quamuis vere ardeant: non tamen ſubito concremantur: Cum his metallis & fixis ſpiritibus ſp: vitæ noſtræ communicãt, idcirco ſulphur, ſal victriolatum maximum huius mali eſt τὸ ἐξιφάρμακον, neq; hi ſpiritus fixi accenduntur, niſi morte iam imminente; qui ſi ardeant, æger moritur. Horũ ſpirituum efferueſcentia à ferrore arteriæ pulſant, nec maiorem caloris intenſionem citra accenſionem permittunt, nec propterea citius ſulphure impuro accẽduntur, ob ſubitaneum & perpetuum motum, omnem alternationem & externorum actiuitatem reſpuunt: Ex ipſa enim vita, hoc eſt, ex ipſo ignis vliado tanquam omnis caloris & velociſſimi motus vberrimo penu proxime in ſanguinem profluunt, vitæque actiones moderantur. Cremabile igitur ſulphur & non fixum in febribus accenditur, cuius incendium in adipem, carnem & muſculos ſæuit: vnde hæ molliores partes colliqueſcũt, vnde tandem ſudor erumpit, quo ardor reſtinguitur. Hinc percelebre veterum axioma adhuc

huc in ore vulgi volitat: Omnem febrem ſudore terminari: ſiue æger euadat, ſiue moriatur, ſemper febris ſudore ſoluitur. Hinc quoq; liquet, cur febricitantium cadauera non in cineres conflagrentur. Febrilis ardor, abſumto vitali humido, cum quo vita ſimul exulat, in partes ſolidas admodum ſæuiens, ex iis elementalem madorem elicit, quo flamma, ne corpora in Eſcharam comburantur, extinguitur. Hac de cauſa morte iam imminente externa algeſcunt, quoniam compages corporis ſoluta eſt, & corpora elementaria balſamicis naturis præualēt, quæ cum craſſa ſint, ſi & illa ardere contingeret, fieret ignis viſibilis, quod fieri poſſe negamus. Partium enim colliquatione facta prædominio elementaris madoris erumpentis ſulphuris flamma extinguitur: ſicut exemplum pomi in carbones coniecti declarat. Hanc noſtram ſententiam confirmat curandi ratio per humida præſidia. Victus humidus, inquit Hippoc. omnibus febricitantibus conuenit: non, vt falſo eius interpretes comminiſcuntur, ob concomitantem ſiccitatem. Non enim Hippoc. ſui adeo immemor febres quaſdam valde humidas eſſe, quales illæ ſunt, quæ τοφώδεις & εἰλώδεις Græcis nominantur, ſub quibus primo ſtatim die ægrotantes largius ſudant, hic vtrique humidus victus non conueniret, niſi Hippocrat. in omni febre ignis ardorem, tanquam formam febris ſtatuiſſet:

tuiſſet: ideo ſimpliciter vehementiores febres πῦρ, hoc eſt, ignẽ appellat. Hinc liquet, quam turpiter hallucinentur, qui prætextu victus humidi butyrum, oleum amyg. dulc. earumq; lac in ardentiſſimis febribus concedunt & neſcio quibus aliis oxyrrhodinis, ſebis & pinguedinibus frontem, dorſum & hepatis regionem inungunt, quibus maximum fomẽtum febrili ardori ſuppetunt, quę angue peius in febribus, Herpete, Eryſipelate fugienda ſunt. Non enim ſulphur ꝙ humidum eſt, ardorem reſtinguit, ſed quod fixum & incombuſtibile ignis vehementiam ſuperat. Venæ ſectio ad animi vſque deliquium Gal. authore febrim ardentem tollit, non quod ſanguinis miſſio intemperiem tolla, hoc impoſſibile eſſet; ſed quia ventum mouet, ardor ſulphuris extinguitur: Idem in locum ſanguinis extracti venæ multum aeris frigidi fugâ vacui contrahunt, quo reliquus ſanguis ventilatur, eiuſque ſubitaneus motus incendia extinguit, non aliter quam ſufflatu ardens candela deletur. Hoc conſilio Dogmatici gloriam artis ſuæ conſequuntur, ſi modo tempeſtiue vena aperiatur; quo neglecto facile excuſantur Catonis admonitu graui; Principiis obſta, &c. Aqua frigida vberrime hauſta multos febricitantes ab imminenti exitio, ſudorem prouocando, quo ardor ſulphuris extinctus eſt, liberauit. Dices? Frigiditate ęque intemperiem calidam tolli, non immerito tunc

ſciſcitari

ſciſcitari licet, vnde ſudor ille à potu æquæ frigidæ promanet? Palam eſt, quod frigus ſudorem non prouocet: niſi tamen ſudor ſequatur, aqua frigida magis obeſt, quam prodeſt. Si dixeris idem hic euenire, quod in reſtinctione calcis viuæ, vel lapidis igniti, quam primum calx vel lapis vehemẽter calefactus, aqua aſpergitur, fumigat: ita & viſcera calefacta, ſi aquam perſentiſcunt, mox fuga contrarietatis exhalationes calidæ erumpunt, partes molliores inuadentes & mordentes ſudorem & madorem ex illis eliciunt. Quo plane conceſſo nolens volens fateris, viſcera adeo calefieri, vt igniculos in ſe foueant: Niſi enim lapis eo vſq; calefactus fuerit, vt in ſe empyreuma conceperit, licet multis aquis aſpergatur, non fumigat. ſolum igniculi ex lapide aquam frigidam fugientes fumigant.

At hæc doctrina opinionem noſtram non euertit; ſed potius confirmat: Quoniam calida exhalatio ab igne non differt, quam vapor ab aqua: Congregatus vapor in guttas concreſcens, aqua eſt, exhalatio congregata in ignem condenſata ignis eſt, quæ vlterius Phyſica explicat. Vera febrifuga eſt, V.S. & ſulphur fixum ſiue illud embryonatum ſol vel Iupiter, fixum ſiue illud embryanatum ſol vel Iupiter ſiue minerale fuerit, vtrumque curam perfectam abſoluet: ſi rite & oportune adminiſtretur, ſolum fixum corpus eſt aduerſum elementum ignis

Cura febrium.

ignis & est elementum ignis saltem aduersus id, quod contra ipsum fixum non est. Quamuis aqua ignem deleat, non tamen sine magna turbationum, ebullitionum, fuliginumq; excitatone fieri potest quibus membra misere torquentur & fatigantur, ventriculi coctiones & actiones euertuntur, caput aggrauatur, multisq; & variis cruciatibus membra diuexantur: solum solis sulphur perfectissimam curã præstat, sudorem ex omnibus membris vberiorem prouocat; qui ardorem restinguit, spiritus sulphureos restaurat, & vi sua narcotica quæuis huius furiæ sæua symptomata mulcet: non operatur more opiatico, velut hyoscyamus, papauer, mandragora, verum tuto, placide, virtualiter sine omni infectione. Quapropter sulphur hoc vocatur sulphur philosophorum, quoniam philosophi omnes id vna opera studuerunt, vt vitam in multa secula protraherẽt, saniq; viuerent, & morbis resisterent. Quam facultatem omnẽ in hoc sulphure inuenerũt potentissimam. Qua de causa id illi nominis indiderunt. Quomodo autem arte philosophica à suis vinculis liberetur, vt tam potentes actiones edat: Rex Heber abunde docuit, quem si non intelligas, tuæ imputa inscitiæ: Panem filiorum canibus obiicere non oportet. Hæc tamen hic clare omnia volo sulphura à victriolatis salibus separata huius esse ordinis quale in terra Lemnia, in bolo armeno, lap. bez.

victriolo absconditum latet. Quibus mediis oculatiores Medici sæpe ardentes febres in simul ad amoliendos externos morbos coincidentes operam impendentes extinguunt: coincidentium morborum externorum ablatio per contraria nec in hoc nec in aliis vere morbis negligi debet: id quod à quouis pio & solerti Medico feliciter Medicinā facere volente requiritur. Quod hic admonuisse volo, vt si quis artis imperitior in arcana hæc nostra inciderit, ac se adiutū illis miracula patraturum consideret, spe falsus culpam in me non coniiciat, sed in seipsum totam conferat. Qui enim nec à Deo nec à natura ad hæc secreta orgia vocatus, nec veram morborum cognitionem & combinationem tenet, canonum & fundamentorum scientiæ Medicinæ expers est, holocaustum hic nullum inueniet.

Sulphur Martis victriolatum.

MArtis sulphur spiritus victrioli ex acido plane igneo extractum & rectificatum, volatilē victrioli terram rubeam & virgineam cum oleo eiusdem mineræ dulci coniungito, & leni calore vnito. Est anodynum, si loco olei victrioli dulcis ol. sulphuris acido terra virginea albumq; Martis sulphur coniunguntur, fit hydroticum.

CAPVT

CAPVT VII.

Morbus ſulphureus ſulphuris reſoluti, coma ſeu ſopor.

SVlphur reſolutum principium humidum oleaginoſum in pinguedinibus, axungiis, medullis & id genus aliis partibus tum latentibus & occultis, tum peruiis ſeſe oſtentat, vitales in corde facultates ſitas fouet & ſuſtentat, à corde in cerebrum debito modo, tempore & menſura delatum, naturalem ſomnum cōc liat, cor & cerebrum ſuaui ſp rituum conuentu & tranſmiſſione ſe mutuo mulcent: cor ſulphureos ſpiritus in ſyſtole per aortam & venam arteriosām in cerebrum mittit: cerebrum mercuriales virtutum expultricum & attrahētium operâ: hinc contingit, nos poſt laborem, motum, ludos, exercitia, laſſitudinem facile ſoporari: ſiquidem labor, motus, exercitatio, cerebrum & ἄρυθμον pulſum concitant, quo maior ſulphureorum ſpirituum copia ad cerebrum defertur; vnde ſuauior fit ſomnus, ſimiliter anima ad cantus, cum aquarum murmure intenta reliquorum ſenſuum quaſi obl ta, ſpiritus ſulphureos ad ſe allicit, eoſq; ad audiendi organū aduocat, quos ſequitur iucunda quies; cuius beneficio ap a conſtitutio conſeruatur, vireſq; inſtaurantur & reficiuntur. Econtra immodicæ vigiliæ & intempeſtiuæ lucubra-

 tiones,

tiones, ſpiritus exhauriunt, conſumto vitali ſucco mortem inducunt, cruditates pariunt, vires labefactant, ſenſuum functiones debilitant, ac multa alia vitæ incommoda afferunt. Conueniens enim ſulphuris reſoluti circa mirabilem arteriam alexicacum, panniculos cerebri aut temporũ venas, attractio, ſomnium omnium ſenſuum ligamen ad animantium quietem & ſalutem inſtitutum conciliat. Si vero ſulphur hoc immoderatius luxuriet, narcoticos & ſoporiferos inducit affectus, quos ſuſcitat & vi ſua narcotica & inebrietate, qua ſtupidos, ſocordes, obliuioſos, excitabiles ægre, & ad ſubeundos labores pigros, & inutiles reddit. Quamobrem ſomnus profundus, qui naturalem moderationem excedit, inter morborũ cauſas & affectiones numerari cenſetur, cuiuſmodi ſunt coma, caros, catalepſis, lethargus, quibus & annumerantur vertigo & hiſce ſimiles oculorum læſiones.

Coma, ſopor, cataphora, veternus, quocumq; nomine appellare libuerit; ſomnus eſt profundus cum difficilima excitatione, à ſpiritibus narcoticis. Hunc affectum qui experiuntur, tanta iis oculorum & palpebrarũ grauitas eſt, quam ſuſtinent, vt nec ſine magna difficultate palpebras attollere & oculos aperire valeant, atque vt vno verbo dixerim, nec poſſint à ſomno excitari. Si quis eos excitare tentauerit, ſtatim nouo ſomno opprimuntur, ac di-

ac dimissa inferiore maxilla, ore hiante & corpore ignauiter composito in lecto iacent. Si spiritus sulphurei solum anteriorem partem cerebri oppleant, ægri oculis clausis dormiūt, sine motu & sensu iacent, & quia malum est in syncipite, caput grauatur: propterea hic affectus caros dicitur, ἀπὸ τοῦ καρεῖσθαι, quod grauari significat. Possidonius animæ perpulsionem, Celsus narcorē, Cælius Aurelius prescarium, Alabæus subeth, alii torporem, stuporem, ecstasin vocant. Si posteriorem cerebri partem peruadant, ægri in ea corporis figura permanent, in qua fuerunt corrupti, siue sederint, siue iacuerint, semper fere apertis oculis dormitant. Quibus si manum ante oculos quis ponat atq; moueat, oculis non nictant. Græci κατοχὴν, Catalepsin, Latini oppressionem, apprehensionem, detectionem, congelationem; Celsus ἀφωνίαν, Arabes Alkastian appellant. Quando cauerna occipitis seu porositates ipsius narcoticis spiritibus obturātur, fit lethargus, in quo ægri frequenter oscitant & inter oscitandum sæpe obliuiscuntur os claudere, arrepta matula obliuiscuntur mingere, matulam deponere atq; adeo somno sepulti iacent, vt sola respiratione viuere intelligantur. Portentosas dormitationes, quarum causæ cæcæ, abditæ & inscrutabiles nobis oblitescunt, nos studio præterimus, vbi Epimenidem ferunt in spelunca dormitasse annos 57. ac tandem

excitatum non in apertum prodiisse, & omnium rerum faciem tam breui circa se immutatam attonitum stupuisse: videri namq; sibi perpaululum quieuisse. Damascenus compertum narrat, quod rusticus labore defessus in fœneo tumulo totum autumnum & consecutam hyemem perpetim dormierit, donec æstate fœno paulatim depasto experrectus tanquam exanimis totusq; extra se positus inuentus sit: Quemadmodum de 7. dormientibus, qui 97. annos, vt fertur, perseueranter dormierunt. Somnus profundus semper malus, qui mortales in Charontis cymbam plerumq; dimittit, siue primario & per se incumbat, siue ex consensu, consortii lege adueniat, affectus semper ferox est, quo omnes potentiæ organo corporeo affixæ, morte funditus intereunt, suisque actionibus omnino priuantur: quia igitur sensus externi, dum somno profundo tenemur, à functionibus cessant; ortum inde est, vt somnus teste Platone in Phæd. veluti mors quædam habeatur. Vnde Cic. in lib. de Senectut. Nihil videmus, inquit, morti tam simile, quam somnũ, cuius lectus sepulchrum est. Vera & ipsissima mortis imago, vt non male somnus & filius καὶ ἀδελφὸς θανάτȣ dictus sit. Quãdo spiritus resinosi, fuliginosi, sulphurei ad opticum neruum transeunt, omnia circumagi videntur, & quadã rotatione circumferri adeoq; nonnunquam vehementi, vt ægri

inter-

in terram concidant. Hunc affectum vertiginem seu scotoma appellant: Si nulli spiritus ad neruum opticum mittantur, fit cæcitas: si mittantur, sed non, vt debet, fiunt myopes: si non debito tempore mittantur, fiunt nyctalopes. Veram vertiginis causam ipse Galenus quoque nouit; Accidunt, inquit, propter spiritum vaporosum, qui in partibus cerebri inordinato motu cietur. De vertiginibus aliisq; capitis affectibus, deq; earum causis, quæ ex consensu inferiorum partium excitãtur, idem Galenus diuersis locis, cum de illis differit, eos omnes ad fumos, vapores & spirituosas exhalationes reuocat, quod videre est ex eius Comment. 31. in 31. Aph & 3. de loc affect. c. 8. Idem senserunt Auicen. Orib. & alii, ex quorum scriptis constabit, omnes vertiginum causas ad halituosos vapores, spirituososq; fumos potius, quam ad crassos & pituitosos humores esse referendos, siue spirituosi illi & fuliginosi vapores sedem suam fixerint in cerebro, aut aliunde delati fuerint. Quãdo enim ad plexũ choroidem fertur tetra & fuliginosa ἀναθυμίασις per arterias ceruicis, quo loco spiritus mercuriales sulphureos vapores à se eiiciunt, ibidem & vbiq; iisdem vaporibus obruuntur & suffocantur: Aut si in neruos opticos obtrudantur, ibi gyros & vertigines pariunt, atque eiusmodi etiam & eædem causæ somniferis affectibus necessario tradendæ sunt, ne à frigi-

diore, lenta craſſaq; pituita vel melancholia ſenſus ligantur, cum corpora in res ſpirituales non agant: ſenſus autem corporei non ſunt; ſed in corporibus reſident, & de his iudicium ferunt: Corpus vero nullus ſenſus iudex. Nullam igitur vindictam poſtulat, nec in eos agit, ſpiritibus facile connectuntur. Spiritu, inquit Triſmegiſtus lib. 2. qui Aſclepias vocatus, agitur & gubernatur omnis in orbe ſpiritus: ſpiritus implet omnia: mundus etiam corpora: ſpiritu miniſtrantur & omnia vegetantur in mundo, in ſpiritibus, ſpiritualibuſq; corporibus poteſtates omnium naturalium actionum vigẽt: ſenſus, motus, imaginationes, memoria ſpirituum corporeorum miniſterio perficiuntur. Neq; verum eſt, quod ab Anatomicis affirmatur, eundem eſſe ſpiritum motus & ſenſus authorem: actiones vero differẽtes edi inſtrumentorum ratione, ſed ſpiritus quoq; donis . . . prædeſtinationibus & ſignaturis ſuis reſpondentes inter ſe diſtant, ſenſus corporibus ſpiritualibus perfici, proxima ſenſuum inſtrumenta ſentiendi actiones & affectiones concurrentes ſatis demonſtrant, imaginationes & memorias in ſpiritualib. corporibus, ſed ſubtiliſſimis, potentiſſimis & maxime ritalibus verſari teſtantur inſomnia morbi corporum & imaginationum obſequia & ſimplicia nõnulla, quæ certas imaginationes admirandas ſæpe ſuſcitant. Vnde abſurdum non eſt, omnium natura-

naturalium actiones, vires ac potestates à spiritibus tanquam causis deducere ac deriuare. Nec magna rationum deductione opus, si experientia fidem mereatur. Quis non vini meracioris profundiore somno opprimitur? Hyoscyamus Mandr. papau. Opium & reliqua narcotica non frigida sua qualitate somnum lethalem afferunt, sed spiritus sulphurei, quibus abundant, sanguinem coagulant, & spiritus mercuriales omnis motus & vigiliarum autores suffocant. Ridiculum est, quod asserunt, ab intemperie frigida neruorum principium in catalepsi congelari, vt præ frigore corpora eorum rigeant & gelu constringātur, talem profecto frigoris excessum nobilissimū mēbrum non perferret; Citius frigida intemperie ventriculi & intestinorum correpti stercora conglaciata cacarent; nec animaduertunt, catalepticorum bonum & rubrum calorē non mort s; sed vitæ signum, non frigoris præsagium; sed caloris nuncium esse, nec infantes propter copiam pituitæ somniculosi sunt, sed quia humido illo oleaginoso abundant & nutriuntur: senes peruigiles, quia illo cremore fumeo destituuntur. Hinc multi ob inediam insomnes noctes traducunt, & econtra post cibum facile somnum ineunt: Id vero non nisi, quia sulphureos halitus suppeditat cibi copia, negat inopia. Quamobrem quædam edulia & potiones, vt amygd. dulc. dactyli seu palmulæ, Man-

dragora, papaueris lac, vinum, aliaq; eiusmodi somnifera dicuntur, quod plurimũ sulphuris resinosi in caput efferant, & humente suauiq; halitu cerebrum irrigant, non quod eorum narcotica & soporifera vis & potestas à frigida quadã dependeat; sed potius à sulphure quodam flammabili resoluto, indigesto & fœtente, quo plurimum abundant: Nam & fumus sulphureus arborum, picis, Galbani, oppon. & sulphureus vapor tam vini, quam croci, multo citius hominem in somnũ præcipitabunt profundum & lethalem, quam aqua niuis aut glaciei, montium, quantumuis in summo accessu frigidissima. Hæc enim frigiditas caret spiritib. vaporosis & sulphureis, qui cerebri ventriculos opplentes, iucunde soporiferas inducunt affectiones, qui sc. in croco, vino & opio inueniuntur. Quod & facile animaduertere potuissent, quod cætera, quę maxime frigida censentur, nullum tamẽ somnum inducunt, alioquin aqua frigida palmam facile obtineret: Quæ cùm sulphureis spiritibus destituta sit, somnum potius retardat, quã accelerat. Quod autem narcotica crocus, myrrha, mandragora, hyoscyamus, papau. opium sulphuris spiritib. abundent, odor eorum fœtidus satis testatur.

Signum opii veri & legitimi. Hinc ex cæteris signis, quibus veteres verum opium discernebant, hoc quoque vnum erat, quod flammam conciperet: Quod enim in opio narcoticum est, id nihil est aliud, quam

pars

pars quædam oleoſa & ſulphurea flammã concipiens, quæ ſi à cæteris opii tincturis ſeparetur, & genuino ſuo correctorio præparetur, fit ſaluberrimum ὑπνολικόν. Cæterum, quod ex opio manet, non narcotica poteſtate, ſed diaphoretica virtute pollet. Quibus tandem præſidiis Pæonis ars mortis filiam ab get?non ſane digerentibus, incidentibus, pituitam vel Melancholiam purgantibus, ſyrmaiſmis, glandulis & ſimilib. putatiuis laxaminibus], iis mehercule nulla ἀναθυμίασις è cerebro foras vocatur. Vita additione aucta, fax & lampas illa flagrans ignis vitæ noſtræ omnes fuligines ſulphureoſque halitus diſcutit, languentemq; & fumantem vitæ noſtræ ignem viuificat & vegetat. Hunc ignem qui non agnoſcit, neminem à profundo ſopore liberabit. Hãc curandi indicationem febres ardentes & intermittentes nobis præfigurauerunt; in accenſione febris tertianæ vel quartanæ ſomno ſatis moleſto affligimur, cuius hæc ratio; Quod dum maſſa ſulphurea inardeſcit, fumus magnus ſeu ſulphureus halitus in caput aſcẽdit, cerebrum opplet & ſenſus ligat, vnde ſomnus: quando vero paroxyſmus vltro aſſurgit, ardor ignis totum corpus peruaſtat, tunc confeſtim ignis flamma omnes in cerebro exhalationes diſcutit & conſumit; profligato omni ſomno ægri membra huc & illuc iactant. Hæc naturali Inſtitutione Hermetici edocti Comaticis can-

delam

delam accensam ante oculos posuerunt, & à somno profundo omnes excitarunt. Radii namque ardentis ignis per oculorum tunicas & neruum opticum haud aliter, quam sol per vitrum, plexum choroidem illuminant, sulphureos halitus discutiunt, & hac ratione à somno excitantur. Vitam igitur eiusq; ἐντελέχειαν suscitare & augere oportet, quæ non alio pharmaco refocillatur, quam spiritu vitæ. Huius instauratione vita restauratur & fuligines discutiuntur & profligãtur, nõ secus ac ignis qui recenti igne renouatur. Etsi enim prius ad scintillas vsque extinctus fuerit, iterum accenditur, & magis ardet, quam antea, per additiones idipsum augetur ad arbitrium nostrum.

Hic in considerationem venit, vnde vita nostra, spiritus & ignis vitæ erui debeat, quo vita nostra emendari & fortificari queat, cum res sit incorporea, volatilis & inuisibilis: Neq; enim ignis elementum deglutire poterimus. Qua igitur ratione ignis à re quapiam, in qua nullus inest, resiliet? Hoc scio quidem nobis impossibile, quamuis videamus ex duritie silicis ad chalybis illisum, ignem excuti, cum in eorum neutro sit ignis: attamen inde oritur, cum nullius igneæ naturæ sint, nec adustibilia corpora; sed igni resistant magis, quam alii lapides aut vlla metalla, ex quibus nullus ignis elicitur, nec haberi potest. Non aliter ignis seu sp. vitæ nostræ suam originem sumit ex re

quapiam,

quapiam;cui inesse non videtur, vt in metallis, cæterisq; rebus, quas mineralia vocant, quæ corpus supra complexionem & qualitatem ingenitam erigunt & conseruant. Hinc ex prædictis corporibus elicitum ignem philosophi omnes occultarunt, nec nisi ænigmatice descripserunt, quem vocãt lapidem philosophorum, qui in igne totus generatus, cuius bonitas in igne, crescit, ignis est eius nutrimentum & perfectio. Quare non immerito filius solis ab omnibus proclamatur; hoc est, Ipsa eius anima, quæ à nullo igne comburi potest, cum sit tota ignis & re ipsa nihil aliud est, quã quinta essentia sulphuris, quæ ex reuerberato sulphure per spiritum primi & maioris vegetabilis extrahitur, est coloris rubri, & pellucida existit, sicut Rabinus solum huius monarchiæ peritis cognitus similem operationem habet tinctura, quæ ex antimonio elicitur, cuius processus talis est.

IGNIS VITAE.

Regali mercurium oleo victrioli rubeo prçcipitatum in oleo Alkophil dulci soluito & figito.

CAPVT VIII.

Morbus sulphureus sulphuris coagulati, profluuium.

SVlphur coagulatum, impurum & imperfectum in carne musculosa fibrosa ac parenchymatum substantia, tum in sanguine arteriarum & venarum æquale dominium cum sale obtinuit: vtrumq; dissolutionem patitur, si sal liquescat, œdema fit, si sulphur dissoluatur, fit διάῤῥοια, de qua hic sermo. Archæus stomachi vim & naturam in se continet, separandi odoriferũ à fœtido, malum à bono: quod bonum est, noxam non confert; sed quod malum est. Huc referuntur multiplicia venena, laxatiua, oleaginea, viscosa, res calidæ, humidæ, siccæ, stipticæ, diaphoreticæ, diureticæ & similia alia. Nullus cibus est qui sulphur fœtidum & immaturum non habeat, ac laxatiuæ, elemẽtaris naturæ non sit. Stomachi ergo officium est, ista separare: & in stercus cogere ac expellere. Stercus nihil est aliud, quam alimentorum sulphur fœtidum & immaturum, ad nutritionem ineptum & inutile, Expulsionis vis in rebus ipsis egerendis consistit. Vis enim expultrix non in hominis natura condita est, sed in stercore, quod secedit: aliud siquidẽ alio citius, vel tardius deponitur, pro naturæ suæ modo: Operatur tamẽ simul etiam tempus, quod virtutem hanc

Stercus quid?

hanc producit, ſicut pyrnm, quod per ſe decidit; nec ab arbore decutitur; ſed à motu intimo ſe expedit, erat cibus ſtomachi. Nihil enim ſtercus fieri poteſt, quod prius in ſtomacho non fuerit cibus. Si vero eueniat, vt ſtomachus plus digerere conetur, quam à ſeparatione ipſi mandatum eſt, hoc eſt, ſi oblectationis, aut, quod aiunt, animi gratia ſtercus, ſulphur immaturum digerere aggrediatur, iſto iam molimine corripitur venenum laxatiuum, aut elementum ipſum, quod à cibo ſeparatum eſt. Hic iam diarrhoea oritur: ſtomachus namque venenum cibi, ſulphur immaturũ, laxatiuum, elementaque non ſeparare; ſed tantũ digerere debet, ac cæterum relinquere. Si vero is ſeparationem quoq; molitur in eſſentiis, & ſpiritibus, iam cauſam Diarrhœæ confert, prout ſeparatio illa inſtituitur. Periculoſus fit morbus, ſi appetitum mouent, quæ non ingeruntur, vt quando ad ſe trahit partium nutrimentum vel ſulphur coagulatum in ſanguine, in carne & aliis membris, quod edere appetit, cum appetitu iſto corpori morbum infligit: ſuum enim corpori nutrimentum ſubtrahit, & dum ſuum ipſius ſanguinem abſorbere deſiderat, per inteſtina delabitur fitq; dyſenteria, quę tamen fluxus ſanguinis non eſt, ſed eius, aliarumque partium ſulphur diſſolutum, chymicis adulterinus ſanguis, cibus ſtomachi eſſe non debet; ſed elementum corporis, à quo ſuſtentetur: ſic *Dyſenteria quid?*

ſæpius

ſæpius appetit adipem inteſtinorũ & res alias in corpore exiſtentes omnes, vt mucum, fluxus, quos ad ſe trahit, ceu cucurbita ſanguinē. Quoties igitur ſtomachus ſulphuris immaturi edendi deſiderio laceſſitur, quoties ſeparationis voluptate capitur, quaſi ſcire cupiat, quid præſto ſit, & hoc fine ſeorſim vnum ab altero ſeparat, iam per nimiam illam ſeparationem fluores concitat. Omne autem coagulatum diſſolutum per anum vel vomitum vel per veſicam exit. Si nihil ſeparetur vel digeratur, fit lienteria: ſi non ſeparetur & digeratur, fit immodica excretio per aluum, Diarrhœa dicta. Si per vomitum & aluum ſimul, quicquid in ventre & inteſtinis eſt, cum moleſtia excernatur, dicitur cholera. Morbus in patria mea frequens contingit, quando offas pingues edunt & cereuiſiam recenter coctam ſuperbibunt, ſine intermiſſione ſtercora flaua, alba, amara, fellea eiiciuntur: proſtratis repente viribus, variis torminibus cum ventriculi inflatione miſere cruciantur. Hunc affectum vernacula lingua den Kolch vocant, cui puluere cort. pomor. aurantiorum medētur, in quibus ſulphur congelatum vere aureum dominatur, quod nomen & omen tam odor, quam ſignatura eius indicat. Si ſeroſus ſanguis per ſe-dem profluat, dicitur dyſenteria rubra. Si pinguia, hoc eſt, mucoſum ſtercus tunicis adhærens & pinguedo frequenter & copioſe excernatur,

natur, dicitur dyſenteria alba: Si per vrinam potus indigeſtus copioſe exeat, diabetes dicitur. Horum fluxuum omnium cauſa, ſi humor præternaturalis quidam eſſet, nulla diarrhœa, nulla dyſenteria vel lienteria lethalis eſſet; Si talia inquit Hipp. qualia debent purgentur cōfert. & leniter ferunt: At humor præternaturalis expurgari debet, ſiue qualitate, ſiue quantitate peccet: Nō ergo hi fluxus actiones euerterent, mortem adduocarent; ſed ad ſanitatem & vitam conducerent. Multo vero minus à cruditatibus oriuntur, cum excrementa illa cruda non ſint, nec tantus cumulus humorum coaceruari poterit in inteſtinis, qui tantum profluuium proritaret, cum nulla diarrhoea ante ſeparationem fiat, quam præſentem ſubitanea ſubſequens aridura totius corporis arguit, quæ ob nudam humorū euacuationem, corpus tam cito non infeſtaret & deformaret, niſi ſulphur coagulatum in ſanguine, in carne, in muſculis & cæteris membris liqueſceret; hac facta colliquatione corpus repente tabeſcit.

Huius mali fructus ſunt conſumtio carnis, perturbatio ſanguinis, tabefactio ſurarū & muſculorum brachialium infra & ſupra cubitum, in pedibus infra & ſupra genua, tuſſis arida, viciſſitudo caloris & frigoris, ſitis inextinguibilis, quando & ſenſilis ſeparatio horrore & frigore membra conquatiente, per quam con-

ſumitur mollis coagulationis proportio, mẽſura, pondus & diſtantia, in corpore, medullis & in omnibus membris internæ & externæ regionis, hoc eſt, in manibus & pedibus & quæ inter hæc continentur. Hæc ſubſequens aridura, eiuſq; comites ab humorum profluuio ſuſcitari non poſſunt, cum nec membra ex humoribus conſtent, nec in humores reſoluantur: ſatis diu ſtercorum iudicium fallax & inane, ægris, imperitorũ perſuaſione, calcar fuit, vt perpetuis purgationibus corpora miſere diſturbanda & torquenda ſubmitterent: quod flauum per aluum exit, bilis non eſt, nec quod nigrum, melãcholia, nec quod album, pituita, ſtercora à digeſtione alium atq; alium acquirũt colorem. Rhabarb. bilem non purgat, ſed ſtercora tingit ſuo flauo colore, flaua: Caſſia nigro colore eadem inficit: Agaricus alba & pituitoſa reddit. Quod ſi turtur omni bile & felle carens, Rharbarb. eſitet, flauum cacat ſtercus, à Medicis hactenus minime obſeruatum.

Qui acidulis fruuntur, perpetuo ſiue ſint ſanguinei, ſiue pituitoſi, nigrum ſtercus deponũt. Quæ ratio? victriolũ ſpiritus pituitoſi, ſtercora nigro colore tingit, id ſi Melancholia eſſet, cum indies vel vigeſies aluum exonerẽt, omnem Melancholiam ſuis cum proprietatibus exuerent, omneſque læti, hilares, agiles, rubicundi omni nigredine excacata domũ redirent; interim nõ animaduertunt, vel nolunt

videre quod acidulæ nullam melancholiam, hoc eſt, ſtultum vnquam curauerint. Noui inſignem quendam ſycophantam, qui ſemen liguſtri medicamẽtis ſuis immiſcuit, quod proprietate ſua vrinam atro tingit colore. Nobili autem ægro catarrho leui decumbenti perſuaſit morbum lethalem eſſe, quem nec ipſe Hippocrates ſi adeſſet, curaret, proprio ipſum iudicans teſtimonio, vrinæ, inquit, nigræ tum in viris, tum in mulieribus peſſimæ ſunt. Et in prænot. Lethales omnes ſunt vrinæ fœtidæ, aquoſæ & nigræ. Et pro maiori confirmatione adduxit exemplum Sileni, qui cum vrinas nigras, nigram ſubſidentiam habentes excerneret, 11. die mortuus, quem ipſe Hippoc. non potuit conſeruare. Nobilis Hippocratis authoritate perterritus, mortem ſibi imminere credidit, magnis precibus impoſtorem illum ſolicitat, vt omnem diligentiã adhibeat, quod ſi ipſum ab imminenti mortis periculo eriperet, mille coronatos aureos ſe ipſi daturũ promiſit, quos pro hac impoſtura, pro hac fraude erogauit. Mera nugamenta ſunt, quod ſtercora tali vel tali colore tincta, morbi cauſam vel morbum indigitent. In morbis diſſolutis purgationes nõ ad vitam, ſed ad mortem ducunt: non hic peccat cholera, non melancholia: quare purgandum non eſt. Quod ſtercus tali colore tinctum eſt, id à morbo, à praua digeſtione eſt, non ipſe morbus: Nix hyemem non

inducit: hyems autem niuem producit: per ablationem niuis hyems non aboletur; & siquidem nix nulla vſpiam exiſteret, hyems tamen vere vigeret. Quod igitur ſtercora tingit & fluida facit, emendari & aboleri oportet, quod expurgari nequit; ſed rectificari, confortari & coagulari. In hunc finem à Deo medicinæ ſufficienter ſuppetunt; cæcitas in eo eſt, quod nemo præparationem aggreditur, vt inutile ſeparetur ab vtili: ſatis eſſe putant, ſi ſe plaſiorum more omnia cõſarcinent & dicant: fiat vnguentum, puluis, Errhinæ, &c. Et ea hactenus doctrina fuit, eo res mundi rediit, vt Medicina merum nugamentũ ſit, nõ, vt prius, ars ſeu ſcientia. Nec enim artifices; ſed cum ſophiſtis agyrtæ ſeplaſiatii, πολυπράγμονες, pharmacopœi elatæ mentis, dentifragi & tonſores garruli, aliique eius furfuris vani, rudes & imperiti ſycophantæ præſunt. Si Medicina ab artificibus tractaretur, proceſſus longe ſanior inſtitueretur, vel ſi ſophiſtæ non tam temere magnalia viris ſanctis vel ſimplicioribus reuelare aſpernarentur, abſque labore multo magni morbi facile curarentur. Deus enim decem Entia quibuſdam rebus adeo pure indidit, vt nulla ferme ſeparatione ſit opus: harum notitia non raro inſoleſcens anus, idiota vel ruſticus vnica radice vel herba grauiſſimum morbum curat, quem non raro doctiſſimi Dd. pro deſperato reliquerunt. Beatus, qui iſthæc

curæ

curæ cordiq; habet, nec ſimpliciores æmulari probro ducit. Rem, ſicut aiunt, ad faciē propius intueamur, artes omnium certiſſimæ, pleræq; à vulgo & abiectæ ſortis hominibus inuentæ & ad nos ſucceſſione quadam comitatæ ſunt. Artemiſia mercuriales morbos curat. D. Ambroſius ſuo ſyrupo milii granis omnes hydropis ſpecies curat. Perſicaria vulnera ſanat, ex Petra fluit, quod omnem fluxum cohibet; quamuis difficile ſit ratione id demonſtrare, niſi rei euentus experimento, quod omnem rationem longe vincit, id comprobaret. Solum ſulphuris ſpecificum ſulphur reſolutum coagulat & fluorem ſiſtit; quo veritas Hipp. ſtabilitur: Contraria contrariorum ſunt medicamenta. Specificū ſulphuris fixum eſt, qꝫ reſoluto opponitur: nihilominus idē, quod morbum procreauit, eundem quoque curat, eodem docente Hippoc. per ſimilia, inquit, morbus, & per ſimilia adhibita ex morbo ſanātur. Morbus ſulphureus nullo ſale, nec vllo mercurio recte per ſe curatur, niſi ex accidēti, vel ob commixti ſulphuris adunationem eius defectus inſtauretur. Solo ſulphure perfecto, ſulphur peccans emendatur & corrigitur, Archæitus ſtomachi confortatur. His indiget natura in hoc morbo, quibus adiungitur conſtrictiuum, ex quorū cōmixtione ſpecificum ſulphuris reſultat, quod perfectā curā complet, ſi

in inteſtinis, quod reſolutum iacet, lacte dulci per clyſterem foras ducatur.

Admonendus hic lector, nos per ſulphur congelatum vel per ſal calcinatum & hiſce ſimiles terminos non ſemper corpus durum, ſolidum & compactum intelligere: verum & ol.& ſpir.& ol. pomorum Aurantiorum, ſuccini, ligni quercini, & alia multa.

Similiter hæc Entia, quando morbos gignunt, in ſpiritus reſoluuntur: quorum corporum reſolutio morbus, vt Hipp. veritas vbiq; triumphat, non aliunde morbos omnes euenire, quam ſi flatus, ſpiritus vel aer, aut plus aut minus, aut cumulatior, aut morbidis ſordibus inquinatior in corpus ſe ingerat.

SPECIFICVM SVLPHVRIS.

LAminã chalybis oleo Garyoph. oblinito & crocum extrahito, hunc ſoluito, & cum ſolis ſulphure coniungito, illud eſt ſpecificum ſulphuris confortatiuum & conſtrictiuum in morbis.

CAPVT IX.

Morbus ſalinus ſalis calcinati Oedema.

SAl calcinatum ſingulis humani corporis membris duritiem, compactionem & con ſoli-

ſolidationem impertit, partes omnes, matrices, loca & receptacula à putredine arcet, totumque corpus in vigore ſuo conſeruat, nec non ab Eſchara & vermibus præcuſtodit. Ex hac ſalis ſpecie robur & ſtabilimentum ſuum habent oſſa, ſuum ligamentum: ex hoc caro ſuam habet mollitiem, ſuam cutis & reliquæ: Nam omnis compactio & conſolidatio ex ſale eſt. Ideo ſal alius eſt in oſſibus, alius in ſanguine, alius in cerebro, & ſimiliter in aliis. Quot ſunt partes, tot ſunt ſalia, quorum inenarrabilem graduum multitudinem calcinatio inuehit. Vt ergo homini opus eſt, vt corpus habeat: ita neceſſario compactionem, congelationem, & conſeruationem: alioquin difflueret & putreſceret: Hæc commoda ſal calcinatum præſtat. Quamobrem non immerito ſubiectum neceſſitatis & balſamus vitæ nuncupatur, ſine quo viuere nemini licet. Tanti nihilominus boni virtus, nonnunquam quinq; Entium poteſtate infringitur, vt liqueſcat. Hæc enim eius natura eſt, vt in aquã reſoluatur. Sicut hoc in macrocoſmo videmus euenire, ꝙ ſal à calore fundatur, & ab humido ambiente liqueſcat: Quæ omnia intra hominem nihilo incertius fiunt, ac extra eum inſcientia. Cuiuſuis igitur partis ſal reſoluitur, & à cæteris deſciſcit, illius partis morbus eſt, quem mors ſequitur. Omne regnum, inquit Seruator, in ſe diuiſum peribit. Quando ergo ſal, quod ſua

natura debuisset esse calcinatum, melius fit & in aquam liquescit, tūc interitus adest, hoc est, morbus cum morte præsto est. Hoc fundamentum morborum est, non humores, non bilis, non melancholia, non pituita, quæ à mēbris non separantur; cum nec prima nec vltima membrorum materia sint, ideo nec membra in humores resoluuntur, nec morbus ab istis pendet. Vbi enim nullum dissidium, nulla inimicitia, nec pugna, ibi nullus interitus, ibi nec morbus, nec offensio, nec dolor. Membra vero in humores non resoluuntur, nec humores à membris separantur, nullum inter ipsos dissidium, non patiuntur, nec quicquam sentiunt, nec dolent, nec viua sunt corpora, ab istis actiones non emanant, in qualitatum categoria locum non habent: quæ tamen singula ad morbi constitutionem requiruntur. Morbus ergo in istis esse non poterit: Quod Fernel. lib. 7. cap. 1. Christ. à Vega, Francis. Valleriola lib. 6. enarr. recte annotarunt, licet canino latratu Medicorum vulgus obstrepet, nunquam inuenri in Galeno, morbum esse dispositionem corporis viuentis; sed corporis humani absolute: propterea quicquid est in viuente corpore, pro viuo habendum esse. Ex quo plane hoc absurdum sequitur, quod merda & vrina, præter phlegmonodes, Erysipelatodes Oedematodes scyrrhodes, nouum morbi genus constituant. Sicut enim humores, quia in epate

sunt,

ſunt, ideo pro viuo membro habentur, ac propterea phlegmone. Eryſip. Oedema, ſcyrrhus peculiare morb genus cõſtituunt: ita & merda & vrina in corpore ſunt: Pro viuo ergo mẽbro habentur: Humorũ igitur morbis addendus eſſet ſtercorum morbus. Eo illos ratio ſiue experientia ducit, vt certum morborum numerum non agnoſcant. Verum ipſa experientia nos docet, ſi diſſidium in corpus noſtrum irruat, diuiſio fit in ſulphure, mercurio & ſale, quorum proprietates, inteſtina bella, ſympathiam & antipathiam cognoſcere oportet. Hinc calcinati ſalis cõditio eſt, vt nõnunquam liqueſcat: id ſi in noſtris corporibus eueniat, tunc caloris in corpore noſtro exiſtentis ea eſt natura, ne ſalem liquefactum ſeu reſolutum in corpore relinquat, ſed multis ex cauſis illũ eliminat & eiicit. Et hoc verum non ſaltem de ſalibus reſolutis, verum etiam de calcinatis & reuerberatis. Hinc ſudor è corpore manat, qui ſalſus eſt: Nihil vero ſudor eſt aliud, quam ſal huiuſmodi reſolutus; vnde conſequitur, ſudorem nonnullum ex carne, nonnullum ex ſanguine, oſſibus & medullis defluere. Quod ſi calor noſter inſitus debilior & imbecillior, quam vt poſſit ſudorem mouere & ſalem reſolutum expellere, is intra carnem & cutim detinetur, mollior tunc fit corporis habitus, quem Cachexiam vocant, in quo affectu naturalis color in eum cõuertitur, qui ex albo *Sudor quid.* *Cachexia.*

pallescit, seu virescit, ac redditur liuidus ac plumbeus, cum mollitudine ac relaxatione quadam habitus totius corporis ac virium omnium, quasi exolutione & imbecillitate palpebrarum, ipsorum oculorum & fere totius faciei, nec non ipsorum pedum dispositione & inflatione, sal enim resolutus per omnes partes distributus facile eas inflat, qui si pedetentim augeatur, iam ex cachexia hac in hydropem facile delabitur, ac propterea à nonnullis hæc initium hydropis, ab aliis affectio hydropem antecedens, solet nuncupari. Si sal resolutum in vnam partem vergat, eamq; in tumorem eleuet, dicitur oedema, quod est tumor laxus, doloris expers, suppressus desidẽs, ita vt premẽtium digitorum vestigia retineat, maxime genua & pedes vexat & infestat. Sal enim ad inferiora descendit: qui si à calore non dissipetur vel suppuretur, sed calcinetur & induretur, fit scyrrhus. Si inter cutem capitis & caluariam congregetur, & tumorem efficiat, dicitur ὑδροκέφαλον. Si in scroto, fit ὑδροκείλη. Si sub tunica visceris alicuius, vnde oritur paruula vesica, quam vocant ὑδάτιδα; Vel in cute à partibus externis, vnde fiunt pustulæ illæ, quas φλεγεδένας nominant. Si inter Peritonæum & intestina resoluti salis collectio fiat & sua copia ventrem distendat, fit Ἀσκίτης ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id est, ab vtre, eo quod in illa vẽter ægrotantis aquoso humore repletus, vtrem aqua

Ascites.

plenum

plenum perbelle repræſentat: quæ pariter dicta eſt à latinis aqua intercus, eo quod aquoſus humor, quo talium ægrotantium venter refertus eſt, nõ multum diſtet ab ipſa arte, ſiquidem redundat inter peritonæum & inteſtina & aliqua ex parte etiam inter periton. & extremam cutim abdominis cõiunctam cum membrana carnoſa & muſculis, qui ad eiuſmodi partem referuntur. Si facies, brachia, manus & pedes cum ventre intumeſcant, fit oedema vniuerſale, quod Anaſarca vocant, & eſt tumor frigidus & laxus ac mollis habitus totius corporis, in quo, dum cutis comprimitur, paruæ & exiguæ quædam foueæ excitantur, quæ diutius excauatæ apparent, neq; ſtatim implentur: quemadmodum vbi mercurius pneumoſus tumorem conſtituit; ob varias & diuerſas occaſiones varia & diuerſa nomina obtinuit: dicta ſiquidem eſt Leucophlegmatia, ab alba pituita. Exiſtimarunt namq; Galen. quod tumor, quem non venter ſolum, verum etiam pedes ac fere totius corporis habitus experitur, ab alba pituita ortum ducat, coloris ſimilitudine decepti, liquamen ſalis non agnouerunt, id licet totius fere corporis carnem obruat: tamẽ, quia interdum potius ſub ipſa carne, interdum ſupra ipſam, citra ipſam extenditur & fluctuat, hinc eſt, quod modo ἀνασάρκα, modo ὑποσάρκα, modo κατασάρκα, atq; aliis eiuſmodi nominib. hæc ægritudo appellatur.

Aqua intercus.

Leucophlegmatia.

Si vesicæ aqua plenæ intra thoracem exciten-
Hydrops thoracis. tur, fit hydrops thoracis, quam & Hipp. agnouit. Forest. & Schenck, vteri hydropem his adiungunt, quem saluo epate & liene fieri attestantur.
Vteri hydrops. Erubescunt igitur omnes illi, qui in Galeni verba 5 de loc. aff. c. 7. iurant; fieri non posse, vt vnquam quis fiat hydropicus, nisi epar sit frigidũ, falso errore ducti, in epate aquam gigni. Id siue frigidum, siue calidum, siue scyrrhosum sit, nullius hydropis fons & origo est; Nõ enim quia vel calidus vel frigidus est, aquã gignit: ex accidente non nisi accidens producitur, nec iecoris hæc natura est, vt aquã generet, licet sanguinem producat. Formæ enim facultas semper sibi eadem manet, nescit fallere, naturam non mutat, quamuis eius actus ob defectum organi suspẽdatur. Propterea alium fructum non prouocat, non destruitur, non immutatur, cum nihil in ipsam agat, eiq; nihil contrarietur: & quamuis iecur à variis causis immutetur, vt nunc sit calidius, nũc frigidius, quæ sanguinis generationem impediunt: non tamen aquam eamq; salsam generabit. Sicut enim arbor in loco nimium frigido, calido, sicco vel humido exarefacta fructum suum solitum, poma videlicet, facultate procreatrice impedita, gignere nequit: minime tamẽ aliam fructus speciem, pyra puto vel cerasa procreat: Ita quoq; facultate sanguificandi impedita necesse non est, vt ea aquam salsam generet: neq;
enim

enim facultas maxime in vigore persistés, tam potens est, vt tantum cremoris vel sanguinis generet, vt eo totum corpus intumesceret, omnesque cauitates implerentur, vt vasa dirumperet sicut id nullibi in toto orbe, à tot retro seculis nunquam est visum vel auditum: multo igitur minus debilitata virtute, tantum aquæ ab ea procreabitur, vt exitum vndiq; sibi moliatur, vasa pene multitudine frangat atque diffindat, nefas siquidem est, naturam eiusque facultatem accusare, quæ nullum morbum facit; sed omnibus reluctatur, solaq; omnium affectionum & passionum gloriosa est victrix. Impeditur illa quidem deprauato organo, vt suam suspendat actionē, nullius tamen morbi effectrix est. sola dita illa quinq; Entium; dealis, astralis, pagoica, venenata & naturalis vis & potestas omnem excudit morbum, idq; tot diuersis subiectis fit. Subiectum igitur huius mali cognoscere oportet, quod hactenus ante lumen gratiæ Humoristæ ignorarūt, licet hoc indicasse videtur Gal. lib. 3. de caus. symp. cap. 2. vbi inquit: Ex colliquatione hydropem, qui cachexiam sequitur, fieri. An vero humor quidam à calore vel frigore colliquari possit? palam est, quod frigus omnem humorem indurat: nec calor liquefacit humores, non bilem, quoniam illam in porraceam & atram transmutat; non melancholiam, nō ex ea empyreumata concitat, quæ corpus inflammant & incendunt,

cendunt, non sanguinem, quem efferuescere facit, & qui per se fluidus, sicut & pituita per se fluida est. Quid ergo erit in corpore, quod ex coagulato & colliquato colliquescit? Nihil aliud, nisi vnicum illud hypostaticum principium cum cæteris primis corpus humanum constituens sal est: Illud 5. Entium potestate soluitur & liquescit, ad partes inferiores delabitur, & hoc modo in hydrope partes superiores tabe consumuntur. Cum enim homo secundum formam suam rectus stet, ideo resolutum per poros carnis deorsum vergit ac labitur, & tumorem concitat, prout regiones magis minusue implentur ab imis ad summa, donec regionem cordis & centrum vitæ attingat. Hoc modo sp. salis vitam hominis iugulat. Cum enim inundatio aquæ fiat & vita in centro hominis cōdita sit, fit, vt aqua illum locum obruat, & vitam suffocet, non secus ac præceps fluctuum concitatio, domum & omnes incolas cum ea obruit & suffocat, quamuis antea reliqua viscera magnis insidiis oppugnauerat, acrimonia sua peritonæum aliaq; vasa perforauerat. Nam ex intemperie fissura partium nulla antecedit hydropem, vt falso sibi Humoristæ imaginantur; sed consequitur. Hic enim salsus spiritus seu liquor salsus, acetosus, mordax, acutus victriolatus vel aluminosus membra solida penetrat, putrefacit, corrodit atque diffindit, vt nec eius vlcera, sanari cōcessum sit.

Nuga-

Nugamenta igitur sunt, quod hydrops ex intemperie calida vel frigida epatis producatur. Nemo vnquam in maximis effusionibus sanguinis, quæ contingunt per vulnera, in cachexiam vel hydropem lapsus; cum tamen ibi sit summa iecoris refrigeratio; calefactum bilem, & si adhuc magis incalescat, retorridos, adustos, non aquosos generat humores. Scyrrhus aquam non generat; sed ab aqua salsa scyrrhus producitur: quod hactenus multorum Medicorum oculos perstrinxit. Hinc in hydrope lien vel iecur fit scyrrhosum, prout hoc vel illud salis liquamen magis alluat: Solum aqua salsa indurationem omnium rerum molitur; sicut hoc ita in Macrocosmo euenire videmus. Lignum in aquam salis gemmæ positum non solum induratur, verum etiam successu temporis in durissimum lapidẽ conuertitur. Scyrrhus igitur hydropem sequitur, vt & partium fissura, & non ipsum anteuertunt, nec eius causæ, sed effectus sunt.

Fundamentum curandi morbum salinum in hoc consistit, vt aqua illa salsa euacuetur, ita vt à toto corpore abscedat. Ex laxatiuis autem medicamenta multa sunt, quæ violenter & serio expellunt, vt scammon. Esula colocynth. cataput. helleb. cortices Sambuc, &c. quæ quidem expurgant omnia, & sic etiam plura: vera tamen & genuina nõ sunt, quæ à natura ad hydropem præstituta sunt, Spiritus salis mundi-

ficati

ficati solũ perfectam curã præstant: quorum efficaciam & virtutem Humoristæ ignorant: ideo lethalis tam Græcis quam Latinis fuit hic morbus. Ast Hermeticorum semper fuit hæc, primo, vt sub salibus magna laterent & comprehenderentur mysteria, quibus viri vitę sanctimonia cõspicui, non solum hydropem, sed & alios grauissimos morbos curarunt. Nicol. Myreps. Salinum medicamẽtum titulo sanctorũ Apostolorũ promulgauit, aliud Lucæ Euangelistæ & Apostolis tribuit. In luminari maiori exstat Syr. S. Ambr. quo non solum virum illum sanctissimum, hydropem ob singularem Dei gratiam curasse constat: verum & nos non vnum, sed vltra 20. vtriusq; sexus hydrope affectos, de quorum salute collegæ mei desperarant, curauimus; qui adhuc in viuis viuum nobis testimonium præbent.

Salis spiritus cataclysmos circa stomachũ, pulmonem, iecur, splenem fluctuãtes tollunt, postea pudenda & coxæ indies minuentur, donec tandem etiam pedes, suræ, malleoli & deniq; venter detumescant.

Id multis rationibus demonstrari posset: breuitatem tamen, quam proposuimus, sequentes, vnum duntaxat exemplum in eius cõfirmationem adducamus. Notum est, quod doctiss. Medici hac ætate vsum crudi mercurii maxime approbauerint. Goritienses obstetrices, vbi grauidæ diu in partu laborauerint, statim

ſtatim mercurii viui ſcrup. j. nullis incommodis potandum exhibent. Praſſou. Ferra. vir ſane clariſſimus ſuo de ſtirp. exam. pro certo ſcribit; ſæpius ſe dediſſe mercuriũ infantibus deuorandũ vi vermium ſemimortuis, qui illico ſanati ſunt: idq; feciſſe in vltima deſperatione. Ita crudum nec aluum mouet, nec vllam moleſtiam adfert. At ſi ſalis cõmunis vel vitrioli, vel ſulphuris corroſiuis ſpiritib. imbibatur & præcipitetur, ab iſtis tantam purgandi potentiam ſortitur, vt duorum granorum pondus, omne quod in corpore ſuperfluum eſt, maxima violentia expurget. Hi ſpiritus ſalis in præcipitatum deduci debent, is præſtans ac potens eſt ad reſolutum ſal extrahendum. Quod enim reſolutum eſt, congelationem denuo non reſumit, velut nec reſoluta nix; quæ denuo non fit, quod fuit ante: tempus tamen niuis denuo inſtat. Hinc licet aquam omnem remouiſſes, & ſalem non coagulares, cura imperfecta eſſet: nam aqua denuo cauitates impleret. Altera igitur curationis indicatio eſt, vt conſequens congelatio inueniatur. Hæc autem aliter non fit, quam per reſiccationem caloris ipſius ſalis, qui ſolum in ſulphure metallorũ latet. Id ſiue ſolis, ſiue mineralium ſit, ex vi & natura arcana, impreſſionibus iſtis reſiſtit & exſiccat. Eſt enim id ſol, qui pluuiam hanc diſcutit & in auram vertit. Hæc igitur artis ſpagyricæ opera in vnum ſpecificum ſimul coniungi debent, vt

aquæ eductio ſimulatq; exſiccatio & coagulatio vno & eodem tempore, conuenientique adminiſtratione abſoluātur: Vtrumq; eſſentia ſalis primi vegetabilis cito tuto & iucunde præſtat, cuius deſcriptio talis eſt.

Eſſentia ſalis primi vegetabilis.

Spiritum maioris vegetabilis rectifica à ſulphure ad albedinem calcinato per ſolutionem cohibia abſtrahito, donec ambo aſcendant, nec non vnum fiant. Deſtillatum in B. M, circulato, donec oleum à ſpiritu ſeparetur, in eo calcem ſalis ſoluito & coagulato.

CAPVT. X.

Morbus ſalinus ſalis reſoluti, Tartarus.

SAL reſolutum, guſtu ſuaue & dulce eſt, nulla acrimonia guſtum ſolicitat; ſed linguam oriſque partes lentore quodam oblinit, tarde & lente excretiones ſtimulat, valide ſiccando abſorbet ichores, conglutinat, penetrat, cuius præſentia nullum alimentum, nec vlla pars corporis deſtituitur, ſapores omnes eius indices & internuncii ſunt. Quicquid enim ſale reſoluto caret, nulli exhibere ſui guſtū vnquam poteſt; ſed inſipidum plane eſt; ſiquidem nulla

frigi-

frigiditas, nulla ſiccitas, nulla caliditas, nulla humiditas aquæ puræ, aut ſimplicis aliiſue ſalium ſuccis deſtituta, ſaporis vllius ſenſum conciliauerit, & vt vno dicam verbo, ſal reſolutum cuncta nutrit & conſeruat. Quapropter non ſine ratione diuini vates cunctarum generationum matrem quam Græci ἀφροδίτην ſeu ἀφρογένειαν appellant, ex ſale præpingui natam eſſe decantarunt; quorum diuinas inſpirationes cum attente ſecum ruminaſſet Plato, omnem virtutem generandi, alendi & conſeruandi in ſale poſitam eſſe, ac omnẽ copiam, affluentiam & vbertatem rerum ex eo proficiſci proſpexit, diuinum quid ſalem appellat, nec immerito: Quoniam ſal eſt ipſe Deorum cibus & potus, ambroſia & nectar ex amalthiæ cornu profluens, mirandis virtutibus præditum, diſſoluendi, coagulandi, detergendi, euacuandi, & infinitis aliis facultatibus, quas in indiuiduis & ab indiuiduis ſuis ſeparatum in aliis corporibus exercet. Verum ex officio ſuo delapſum, cõgelationem patitur, induratur, & in reſinam, tartarum, arenam & lapides concreſcit, varios & incognitos gignit morbos. Horum malorum ortus non ex pituita & mucilagine quadam viſcoſa vel bile, vel ex aliis humoribus, ſed ex ſale reſoluto, dum congelationẽ annititur, procedit. Quippe humor ſimplex, nec ſalem, nec tartarum, nec calculum efficere poteſt, niſi ſal vel materia tartarea ei primũ fuerit

admixta; quæ ſæpe ſine calore vllo extraneo, ſuapte natura vergit ad congelationem & indurationem. Sic videmus in multis fontibus aquiſq; frigidiſſimis ligna ipſa tandem lapideſcere; quod notius eſt, quam vt pluribus conuincere opus ſit. Calculum ex ſale ingeſtorum, bibitorum, comeſtorum, ob debilitatem ſeparationis membrorum, in veſicula fellis, in hepate, ſplene, cerebro, ventriculo, inteſtinis, articulis, deniq; in omnibus fere corporis partibus, etiam frigidis generari: Ita vinum calculum, quem rectius Monarcha Tartarum vocat, tartareos morbos gignit: Sic & cereuiſia arenoſum & friabilem tartarum ex coagulatione aquæ, lupuli & leguminum, ex quibus cereuiſia paratur. Cum enim horum cuilibet ſua ſeorſim coagulatio ſit, ſi tandem vniuerſæ iungantur, peculiarem eumque grauem tartarum, morborum variorum genitorem procreant. Ipſa quoq; aqua ſingularem tartarum generat, ſed eum tamen mitioris doloris, niſi fors aluminoſa ea, aut ſulphurea, aut vitriolaris &c. exiſtat. Varii etiã tartari ex lacticiniis oriuntur; hi tenaces ſunt & mucoſi, acidi, expulſu difficiles, multi & craſſi ſalis. Hoc earum quoque multis formis in corpore coagulatur, & ſpecies aliæ acres, quæ caliditate ſua coagulant, quicquid eis incorporatur. Ipſa quoque membra, ligamẽta, oſſa, arteriæ, ex naturæ ſuę peruerſitate & malitia, ſubſtantiam propriam

tentant

tentant & coagulant. Si in ſtomacho ſal reſolutus coaleſcat, eiuſq; orificio vel fundo adhæreat, fit vſnea & pruina, quæ non aliter ſtomacho inhæret, quam cementum parieti annectitur; tunc ſequitur ardor, orexis, compreſſio thoracis, vomitus, in aurora recidit appetitus & linguæ aſperitas & quaſi prunellæ paſſio. Quod ſi ad inteſtina abierit, & non pertranſierit, ſed adhærebit, nunc conſtipationẽ, nunc colicam, nunc dorſi dolorem, nunc coxæ & iſchiæ, nunc claudit monoculum, nunc longam, nunc ſiſtitur vis in appetitu, & plura alia mala ſequuntur. Si autem digeſtum fuerit in ſtomacho pro prima digeſtione, & expulſum in ſecunda hepatis, ſi ſeparatio fuerit in ea, in vſneam vel gemmam in lapidẽ ſc. diaphanum & perſpicuum mutatur, tunc ſequitur conſtipatio in hepate & durities & apoſtema chronicum, & ſitis, dolores lateris dextri, compunctiones & obſtructiones facit, tumores in pedibus, & maxime tibiis apparebunt. Expulſus eſt appetitus & reiecta digeſtio, vrina quaſi hydropica & indigeſta glauca & multa. Iſta generatio non tantum fit in hepate, ſed etiam in regionibus iecoris & confinibus ſuis. Si autem in digeſtione hepatis, ſeparatio nõ apparuerit, eſtq; materia egreſſa ad meſaraicas lacertoſas, ſi in his ſalis communicatio fuerit, tunc ſequitur generatio pruinæ vel gemmæ. Ex iſta obſtructione ſequitur dolor meſaraicarum, con-

ſtipatio nutrimenti: hecticæ ſpecies, phthiſis principium. Eſt dolor quoq; ſpinæ dorſi, coſtarum, matricis, effœminatum & ſterile ſemen reddit, tollit appetitum attrahendi ſperma, & exſiccatio erit omnium membrorum; quoniam nutrimenta tranſire non poſſunt, per hepar redeunt ad ſtomachum, & corrumpuntur. Hinc oritur ventriculi conuulſio, ſingultus, fiſſura labiorum, & excoriatio interius. Si tranſierit ad renes, & illic exſiccationem adeptus eſt, generantur gemmæ, grando rubei coloris, lapis alabaſtrinus, marmoreus, & ſiliceus. Si in regionibus renum & ſplenis adhærebit, tunc nauſeam facit, nũc vomitum grandem, nunc torſiones & inflationes vmbilici, nunc tumores venarum & pedum, nunc coxarum debilitatem, renum quoque & partium iſtarũ erraticos morbos facit, innumerabiles & quaſi incurabiles. Si veſicam & partes eius cum collo inuadat & cannam finalem in orificio ſuo, & receſſit humiditas, tunc reſolutum in chalcedonium, lithiaſin, magnalinum, zephanteum & inclech coagulabitur; quia in omni cauitate cuiuslibet partis ſal reſolutum coagulari, lapis generari & latitare poteſt. Si in venis coagulatur, tunc tabeſcit membrum & brachium tolli non poteſt: quia obſtruit vias nutrimenti; vnde ſequitur ariditas. Nec ſolum arena eſt, quæ per vrinam excernitur; ſed vbiq; eſt: ſed & in oculis ſæpe naſcũtur lapides. Nam liquor

liquor ſalis qui eſt in capite in oculi angulis cõcreſcit, punctiones & ardores cõcitat, neq; frigus, neq; calor ſalẽ reſolutũ in tartarum coagulant. Nam coagulatio à ſolo ſpiritu ſalis fit, qui in iſta conditione ac forma perſiſtit. Hi ſolum lapidum varias formas formare norunt, qui ipſo fumo multo ſubtiliores partes omnes corporis peruadunt, vbiq; locorum adhæreſcunt. Illic vſnea ac pruina congregatur, quam ardor, compreſſio, exæſtuatio, punctio, dolor acutus & alii morbi ita ſe habentes haud ſecus ac vmbra corpus concomitantur. Per hæc verificatur Hipp. ſententia, Morborum omnium vnus & idem modus: locus vero ipſe eorum differentiam facit. Tartarus enim alium colorem ex ſucco renum imbibit, alium ex vrina in veſica, nonnunquam proprios ſuos ac ſummos colores retinet, velut cæruleũ, rubrum, purpureum, flauum, croceum &c. Viridis & cyaneus & niger non generatur, quoniam iſti colores in orificio ſtomachi ſeparantur, vbi pereunt: Tum iſti etiam alias rari & infrequentes ſunt: prout ergo regionis mos eſt, & cibi potusq; natura: ſic nos quoq; formam, genus ac paroxyſmum inuenire æquum eſt ſecundum modos omnes velut tartarus continet, eiſque innatum eſt. Hinc colligimus tartarum eſſe morbum extraneum, rerum creſcentium, quæ ex terra & eius liquoribus enaſcuntur: de quibus anxie Humoriſtæ inter ſe litigant; An

tartarus morbus, vel ſymptoma, an cauſa morbi ſit, nec iudicem, qui diceret, hactenus inuenerunt. Accuſabunt nos, quod cauſas morborum, morbos & ſymptomata confundamus: Nec id temere, vel abſq; ratione à nobis factũ, cum nõ differant genere, eſſentia vel proprietatibus ſpecificis, ſed poteſtate vel actu ſolum. Quemadmodum Medicus dormiens à vigilante, ſulphur non accenſum ab accenſo, ſal non reſolutus à reſoluto, non matura à maturis, aſcendentia à quieſcentibus: Quia igitur talia in corpore contineantur, quę digeſtione, ſeparatione exaltata & in actum reducta, morbos procreare ſolent, ſi nomina iis imponenda ſint, vnde quæſo nomina inſignia mutuabimur? Ex radicibus proculdubio & proprietatibus innatis ſpecificis ſiue actu nũc appareãt, ſiue in poteſtate radicum deliteſcãt. Hac lege diximus, in corpore latere ſemina, radices, impuritates, quæ digeſtis temporibus ſeparatæ, exaltatæ, iugulatæ, vel in actum reductæ, horrores, rigiditates, ſomnos narcoticos, calculos, tophos, alioſque affectus producere poſſunt. Quod ſi tales radices, cauſas morborum antecedentes nominare libet? Licet: nihilominus iiſdem radicibus progredientibus ad maturitatem prouenientibus exaltatis, accẽſis, morborũ appellationes nulla ratione eripiemus, morborumq; ſymptomata, actiones læſas, colores, ſapores ex proprietatibus radicum produci

duci constanti veritate asseuerabimus. Siue igitur tartarum causam morbi, morbum vel symptoma dixeris, à vero non aberraueris. Errabis autem si purgantibus, vrinam cientibus, illum frangere & expellere coneris: quæ dum calculum acutum & carminatum & mille angulis exasperatum mouent, non raro in via expulsionis venulas & renes exedunt: vnde exulceratio & sanguinis profluuium malo primo acerbius. Hoc vnice spectandum est, vt tartarus, qualiscumq; ille sit, resoluatur & in liquorem trãseat, vt nunquam iterum coagulari possit. Destructio ea si facta sit, tunc natura ipsa illud expellit. Ideo hoc casu id saltem accurandum est, vt talia administremus, quæ istiusmodi arcana continent, in quibus vis illa & efficacia resolutionis, dissolutionis & destructionis sit.

Hac via Tartarus totius corporis concutitur & adimitur.

Hæc Medicina in lapidibus latet, si in liquorem reducantur, vt denuo in lapidem reduci non possint.

His præstitis, Medicina parata & commodata erit.

Nec miremini, quod idem, quod tartarum coagulauit, idipsum quoq; resoluat: vnumquodq; agens iuxta dispositionem subiecti operatur. Hoc modo sol lutum indurat, ceram liquefacit; Ita salis spiritus salem resolutum,

eiusq; viſcum & bolum indurat, vt in arenam & lapides concreſcat: quod denuo reſoluit non aliter, quam aqua fortis, ſpiritus videlicet ſalis ſol, quæ licet ad comminutionem lapidis nihil conducat; ſed mortem vi ſua corroſiua accerſat. hoc tamen docet, medicinas ſimiles alias quoq; exiſtere, quæ tartari ſoluendi vim habent; ſicut aqua fortis ferrum, quod & ſine corroſiuo, ſicut & ſol ſolui poteſt, quod Manna, Tereniabin, odor Saturni & hiſce ſimilia multa frangunt, quæ corroſiua non ſunt; ſed genuina remedia. Similiter ad calculum reſoluendũ hæc ſunt prædeſtinata: oculi cancri, lapis microcoſmi, lap. iudaicus, ſpongiæ, aquilæ, cryſtallus, quorum plures quoq; exiſtunt. At Samſonis opus eſt, rite hæc præparare: quod fieri non poteſt, niſi fortiter admixto incarnatiuo, quod accidentia concomitantia lenit, id in eleuationem reducatur, vt poſt hanc circulari queat, & circulatorium ad minimum ſeptimanam circumiuerit. Tunc tam interius ſumtum, quã exterius per inunctionem, vbi dolor ſentitur, vel ſi in veſica lapis lateat, per ſpringam applicatum tartarea grana granuloſa, quæ alias reſolui non queunt, nec vlla ratione alia per medicamenta edomari reſoluũtur. In illis menſtrua condita ſunt, quæ tartarum ſoluendi, poteſtatem habent, non ſecus ac ſol vim habet liquãdi niuem, & quemadmodum nix ac glacies à ſole liquantur, & in aquã abeũt,
ita vt

ita vt non redeant: sic idem hic quoq; accidit, per arcana illa lapides consumuntur, vt nulli ibidem prodeant & conspiciantur: nec opus est, vt iunctim ita assumantur; sed vnumquodque seorsim & per se satis est. Non omnis cura ex eo procedit, ex quo ipse quoq; morbus prodiit; ex corpore, ex quo ipse lapis genitus est. Ne autem denuo semel expulsus regeneretur, vẽtriculum in hunc habitum deduci oportet, vt tartara quoq; cum & in cibo & potu concoquere & consumere possit, non minus ac struthiocamelus ferrum: id fit per rectificatiuum, cõfortatiuum & alternatiuum stomachi, quæ per acetosa esurina procreantur. Hæc sua natura ventriculum adeo famelicum reddunt, vt cibos etiam insolitos appetat. Quod autem appetit, id concoquit & digerit. Acetosum aliud fontanũ, ut acidulæ, quales sunt Schvvalbacenses, Vberklingenses, Heylprunnenses: Aliud artificiale, vt acetosum vitriolatum, quale est cuprum veneris vitriolatum. Cuprum enim est vitriolum. Si ergo aciditas ex venere extrahatur, tunc is, qui illa vtitur, cuprum digeret. Vt vero cuprum vitrioli habeas verum & genuinum, id sine corrosiuo frangi & resolui debet: In isto solum existit acetosum artis, si extrahatur & præparetur in oleum liquoremq; acetosum. Hi ita processus sunt & arcana, quibus vtentes à morbis tartareis præseruantur, si vnius cuiusque dosin & quantita-

tem,

tem, quam Medico pro conditione personæ, temporis & morbi decernendã relinquo, obseruent & adhibeant. Hemes aliã præseruandi viam nobis indigitauit: per ea sc. quæ salem resolutum coagulari non permittunt, qualia Terebinthina lota, trochisci thuris, masticis, myrrhæ, mumiæ, crocus & alia incarnatiua. Hinc solitum fuit Hermeti post cibum assumtum deglutire semper granum thuris vel masticis, ne videlicet vinum bibitum se coagularet in tartarum. Nos igitur curationum hosce scopos coniungentes, magisterium tale ordinamus.

Magisterium lapidis microcosmici ad lapidem.

Calcem lapidis microcosmici vel oculorum cancri solue in spiritu botini septies eleuati, vt combibat tenuissimã substãtiam: quod fiet, si octiduo in calore detineatur vase tecto, effunde liquorem vase inclinato, residuum exsicca & denuo calcina, vt tota subtilitas, à crassis & refractariis per spiritum botinum exuatur, eo vtere cum vino Falerno.

CAPVT

CAPVT II.

Morbus ſalinus ſalis reuerberati, cutis defœdatio.

SAlis reuerberati munus eſt corpus poroſum, pellucidum & permeabile reddere, granulatim igitur vitalibus principiis annectitur, ne omnino corpus plenum & ſolidum euadat. Quæ omnia ſunt à creatione diuinitus ita ordinata, vt corpus humanum conſtituant. Natura igitur eius à diſpoſitione & acuitate innata hæc eſt, vt rodat edatq;. Proinde dicitur ignis occultus, quem nemo videt, neque ſentit eſſentialiter: attamen vrit. Ita videmus herbas, nec non radices, quæ carnem in bullas exurunt, vt flammula, flos eius & radix, apium aquaticum, ſinapi, piper, vrtica, euphorbium, &c. Animalia quoq; requiruntur, quæ tale quid efficiunt, vt vermes canthárides & alia, quæ quidem occultum ignem in ſe continent, operatione perceptibilem. Similiter vt in iſtis exterioribus: ita in homine quædam ſalia habentur, non aliter corpus intrinſecus vrentia, quã flammula, quæ ſi ab externis irritentur, cutim mirum in modum defœdant: nec opus eſt, multis rationibus hanc veritatem comprobare, quam Senatores & ciues Bambergenſes ſuo malo experti non diffitentur, luem Gallicam per ſcarificationem φλεβοτόμω

ſuccis

ſuccis ſalſis & amaris infecto propagari: quæ ſane lues primo in ſcarificationum eminentiis erumpens, poſtmodum totum corpus inquinauit, adeoq; contumax facta, vt nec cura ligni à Dd. & collegis quondam meis non vulgariter eruditis ordinata, terna vice quoq; repetita, & à chirurgis expertiſſ. adminiſtrata, nec inunctione hydrargyri expurgari & vinci potuerit. Quibus ſuccumbendum miſere fuiſſet, niſi tandem & ego acerſitus, ſimilibus curationem attentaſſem, iis ſine decocto ligni, ſine inunctione mercurii ſine ſuffumigatione cinoberina, ſine purgantium ſæuitia, paucis diebus abſolui, vt perfectam ſanitatem in hunc vſque diem durantem adepti ſint. Quod ſi Manlium quendam Cornutum prouincię Aquitaniæ legatum à tanto malo liberaſſem, votiuas tabulas in ſacrario Apollinis nunquam ſuſpenderem. Non aliter hoc malũ ſolo contactu transplantatur, quã ignis rei cito inflammabili admotus ſeſe propagat. Propterea veteres huic malo ab igni nomina indidere: Vnde ignis Perſicus, ſacer, volaticus, S. Anthonii, pruina ardens, carbo ignitus, noli me tangere, & hiſce ſimilia, quæ ad contagionem præcauendam & fugiendam homines admonent. Si ſal reuerberatum lenem mordacitatem contrahat, fit pruritus: ita amara, nitroſa & ſalſa pruritum cient, vt ſunt vrtica, ſcylla, muria; quæ ſi corpori apponantur, pruritum inducunt. Similiter

ter

ter vſus acrium, nitroſorum, ſalitorum, piperis & ſimilium, ſalem noſtrum ad mordacitatem irritant & propellunt, quæ pruritũ efficit. Hunc ſequuntur fœdus cutis color, vitiligo dictus, cuius duæ ſunt ſpecies. Vna Græcis λευκὴ, quod ſc. niueus cutis color ad candidius mutetur: hæc non tantum cutim inficit; ſed altius deſcendit, adeo vt carnem ipſam quoq; contingat ac pilos coloret, qui in ea cani & lanugini ſimiles naſcuntur. Lat. alba vitiligo nuncupatur. Altera eius ſpecies, Græcis ἄλφος, in profundum non deſcendit, ſed ſummam tantum cutim inficit, cui quædã ſquamulæ, quædam vitiligines ipſæ fixæ adhærent, Arabes Morphęam vocant. Quod ſi furfurata magis ex ſe corpuſcula edit, cutemq; variis figuris exedit, pſora nuncupatur. Si furfuraceæ ſquamulæ ex capitis cute citra exulcerationem decidant, porrigo dicitur: ſi adſint vlcuſcula tenuiſſimis foraminibus cutim perforantia, ex quib. glutinoſa excernitur ſanies, ea antiqui Achores, noſtræ ætatis Medici ad tinearum in veſtibus ſimilitudinem capitis tineas nominant. Vt enim hæ multo eoq; tenui morſu ac eroſione veſtes perforant: ſic etiam capitis cutem achores: Simile huic aſpectu & figura eſt, quod Gręci κηρίον, Lat. fauum nominant; maiora tamen foramina habet, in quibus feces melli ſimiles continentur, perinde atq; in fauis apum, vnde & nomen ſuum traxit. Si reuerberati ſalis pernicies

nicies altiores radices egerit, ſcabiem cõcitat, ex qua puſtulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ſicciores, ex quibuſdam pus glutinoſum, craſſum & viſcidum exit, fitq; ex h s continuata exulceratio pruriens, ſerpitque in quibuſdam cito, atq; in aliis quidem deſinit ex toto, in aliis certo tempore anni reuertitur, prout corpus diſpoſitum eſt, & ſal reuerberatum in ipſo dominatur vel contagium fugit. Si pruritus Ichorem ad ſe trah t, fiunt puſtulæ aqua plenæ, Lat. ſudamina vocant, Bullas ſimiles iis, quæ in corpore à feruido igne torrefactæ contingunt, Hipp. φλύσιν, alii φ·υκlαίνας vocant, nomina acceperunt à nocte, vel quod interdiu non multum, noctu vero grauiore torqueant dolore. Si puſtulæ paruæ ſint inſtar milii, dicitur formica miliaris, ab ambulando ambulatiua & à corrodendo alia corroſiua dicitur. Generatim omnes puſtu'as in cute florentes Hipp. ἐκθύματα ἀπὸ τȣ̃ ἐκθύειν, hoc eſt, erumpendo, quod à cute erumpant, in eaque floreant, vocauit. Si nec aquoſitas, nec pus in veſica contineatur, ſolum eleuetur carnoſitas, ſicut accidit à veſparum punctura, dicitur eſſere. Si in extremittate palpebrarum ſal effloreſcat, fit hordeolum: ſi in naribus, fit polypus, frequenter in exulcerationem abit & maxime foetet. Humiles excreſcentiæ, calloſæ m gna ex parte rotundæ, quæ inſtar monticulorum quorundam in cute eminent, & à ſalis effer-

ueſcen-

ueſcentia erumpunt, μυρμήκια, lat. Verrucæ dicuntur. Si in calcaneis & pedum plantis naſcatur verruca, vt in gradiendo dolorem atque impedimentum afferat, dicitur clauus Hüner-aug/Arab. Miſmar: quia clauorum capiti ſimilis eſt: à clauis non magnopere diſtant calli, quos Græci τύλους nominant, niſi quod per ſe dolore vacant, eodem, quo cutis colore neque ſponte ſed ex labore obdurata cute gignũtur. Si ſalis faſtus in ſanguine luxuriet, hac eius roſione gignuntur abſceſſus, vlcera, apoſtemata, parua, longa, rotunda, caua, patentia, cauernoſa, lata, ampla, anguſta, breuia, obliqua, recta, intorta, corrupta, fœtida, calloſa, varicoſa, cancroſa, vetuſta, chronia, recẽtia, quæ ſingula viſu & tactu facile dignoſcuntur: differentiam autem à locis affectis & magnitudine affectionis & acerbitate contagi ſortiũtur. Phlegmone inter ſanguinea apoſtemata primũ locum obtinet, dolore, ardore, pulſatione, torſione, rubedine cum cutis eleuatione, duritie non parua ſe manifeſtat, quamcunq; partẽ corporis muſculoſam maculare poteſt. Funiculus cum omnibus accidẽtibus phlegmonici Apoſtematis cõuenit, nunquã reſoluitur; ſed ſemper peruenit ad maturitatem: ſi nõ adhibeantur medicamenta oportuna facile in carbunculum trãſit. Carbunculus Arabibus Ademul dictus prædictis ſęuior eſt puſtula parua, venenoſa, locum comburens, in primis veſicam, Carbunculus

deinde Escharam facit; qualis ab aliquo cauterio, vel feruẽti aqua euenire solet. Est cum dolore intolerabili & cum ardore, in circuitu semper magnum habens incendium, aliquando est rubea, vel citrina, interdum viridis seu liuida, nonnumquã nigra; qui sane colores non ab humoribus, sed ab ipsa suppuratione resultãt.

Anthrax. Nec anthrax à carbunculo differt, nisi secundum magis & minus: dicitur Anthrax ab antro, quia interiora quærit, Latinis pruna, ignis seu carbo. Nam sicut pruna seu carbo ignitus positus supra membrum, ipsum corrodit & mortificat: ita & Anthrax facit, quoniã sal vehementer reuerberatum & exasperatum, ignis operationem æmulatur. Erumpit solum in emunctoriis, post aures, intra axillas & circa inguina, tunc proprie dicitur Bubo. Qui Arabum sectantur placita, idem hoc malum prunam & ignem Persicum nominãt. Si in mammis mulierum vel in dorso virorum talis ægritudo oriatur, dicitur Cancer: siquidem iis in locis implentur & intenduntur venæ, cancrorũ pedibus à glomere illo corporis descendentibus persimiles. Nec in corpore aliis locis imprimitur, quam virorũ inter humeros, & mulierum ad vbera: pars eorum maxime rodendo fodit intrinsecus, externeq; minime cognoscitur, donec sedem suam fixerit; tum demum in exulcerationem transit, rubicundis late radiis expansis, & fœtorem cum interuenientibus, a

credine

credine, frigore, calore doloreq; diutius persistente cōcidit, successu temporis corrodit, foditq; rectà cor versus, mortem repentinam in sua molitur periodo. Si cutis & caro simul faciei coccineum colorem acquisierint, deniq; in putrefactionem abierit cum pauca mordacitate: Gutta rosacea dicitur. Si venę sub lingua tumuerint cum cœruleo colore, Ranulam esse dicas. Si mentum totaq; facies illæsis tantum oculis, pectus, collum, manusq; fœdo impetiginis furfure & tabo infectæ sint, Lichen seu mentagra appellatur, cuius tetra contagii seminaria Petrusius eques Romanus ex Asia Romam attulerat, tanta quidem fœditate, vt quæcunq; mors prȩferenda esset, tanta etiam contagione, vt osculo solo, veloci transitu maxime proceres inficeret. Lues Gallica quamuis sit veterum morborum ex sale reuerberato & acuto prodeuntium farrago & colluuies: nouam tamē esse pleriq; contendunt: Cum sæua illius symptomata multis seculis, antequā An. 1473. & 1486. ex veneris influentia incrudescere, nobis visa sint; varia scilic. exanthematum genera, Lichen, serpigo, herpes, essere, gargareoma, & tonsillarum vlcera, cephinus, cancer & steatomata, tubera ac ex intima ossium medulla cōcretus sub illotum panniculis tumor, & in cruribus scyrrhi & φύμα, qui noctu plus, quam interdiu sæuiunt, nec tam dirus ex arthritide, ex acido mercurii præcipitati spiritu

grassatur dolor, qualis circa ossa in hoc Gallico morbo sæuire solet. Quem Græci ὀςόκυπον ob id dicunt. Tam varii &exoleti veterũ morbi in hac lue recrudescunt & renouantur, quã tamen non penicillo adumbrauit, sed viuis depinxit coloribus ipse Hipp.l.3.Epid 3. Anno 1556 & 562. quibus Auster & Fauonius flabat, simulq; vberes deiiciebantur imbres, scorbutus vehementius in Dania & Norvvegia viciniſq; regionibus grassari cœpit, hic ex ςομακάκη καὶ σκελοτύρβῃ conflatus hypochondria inflat ab Hipp. titulo ἴλεος αἱμαλίτης & sub magnis lienibus descriptus est. Quorũdam scorbuticorum in genibus & brachiis maculæ in squamulas resoluuntur, non secus, ac si vena esset quasi λεπιρὰ squamosa, ἀπὸ τῆς λεπίδος, hoc est, à squama, vel ψῶρα, cum asperitate summa cutis, ex ea furfures eliciẽs. Scorbutus igitur, lues Gallica, mentagra & lepra affectus congeneres sunt. Lepra deniq; cutim crassam & inæqualem reddit, tum colorem liuidum in albo oculorum facit, exedũt pedũ manuumq; summæ partes, sanies defluit liuida & maleolens. Ante Pompeii Magni ætatem, eam non vidit Italia, quamuis olim peculiare erat Ægypti malum; ob quod Iudæos suillæ carnis esu temperasse ac Ægypto excessisse Iustinus asserit, cuius seminaria solo cõtactu passim in terrarum orbe propagata sunt. Nec mirum morbos hosce sub certa sydeꝛum & tempestatum consti-

constitutione in certis quoque regionibus grassari & tandẽ cum tempestas illa exoleuerit ac morbificæ seminaria contagionis deferbuerint, eosdem morbos mitiores fieri, desinere & latere, & post aliquot annorũ interualla redeunte simili syderum coniunctione repullulare, aut saltem per huius contagionis seminaria ad exteras nationes propagari, vt frustra hanc lanam carminet Matth in Dial. de morb. Gall. cur. ratione perseuerante morbo quotidie debere fieri eosdẽ stellarum concursus. Nam contagiũ semel cœlitus effusum manet, licet constellatio abierit, morbusq; solo contactu transplantatur; nec longos antiquorum inanes processus in horum morborum seu læsionum cura imitabimur, quos recensere tædet, cum non nisi prolixam, intricatam & fatuam viam ingredi doceant. Nonnunquam itaq; mundificatiuis, loturis, ligaturis, corrosiuis, hydrargyricis inunctionibus, pestiferis suffumigiis & similibus vtimur, quæ quidem omnia vlceribus aliisq, cutis defœdationibus inimica sunt, & eam miserrime deprauant & perdũt. Sicuti vnicuiq; suum peculiare medicamentũ assignare inane & vaniloquum est, nec papyri iacturam compensare vnquam potest. Cum omnis cutis defœdatio, vt lepra, lues Gallica, alopecia, serpigo, necnon alia similia, pustulæ, pruritus, impetigines vnico tunc medicamento satis exacte curari sanariq; valeant,

quorum omnium causa vnica est, licet signa iuxta loci affecti partē & dispositionem varia conspiciantur & dolores acerbiores ad salinorum spirituum maiorem, minoremve efferuescentiam erumpāt. Quapropter salis reuerberati luxus & asperitas, quæ solum cutis effodicationem molitur, solo balsamo emendatur & corrigitur, olea præparata destillataq; balsama quidē vocantur, sed à nullis, præterquam imperitis medicis: Non continēt in se mumiā, ex qua omnis sanatio procedit, solum sal balsami naturam habet, maximas & potentissimas mumiæ vires exerit, tantum opus est, vt à salibus acredinē & asperitatē auferamus. Quampropter, inquit Monarcha, dulcedinē receperint, maxima supremaque mumia facta sunt. Quapropter Medici peritia consistit in eo hac in parte, vt hominem in spiritu salis cognoscere discat, postea sal vnumquodq; tum ex natura similem cibum in eo sale cōstitutum ne huc administret, nam eo pondus augebitur, quo fieret ex abundantia maior eruptio, seu effodicatio; contra sal amarū est Medicina sibi simile sal, sed dulce non amarum: contra sal asperum suum sed mite: cōtra siccum, simile sed humidum: & ita consequenter iuxta proportionis demonstrationem, salia suam dulcedinē perfusionum sublimationū & solutionum cohobiā nanciscuntur, dum in oleum seu liquorē Mercurialem reducuntur. Maior potētia ex vegetabilibus,

tabilibus, animalibus & mineralibus vix reperiri poteſt, quam in ipſo hydrargyro reperitur. Eius ſublimatus dulcis nec non oleũ dulce omnem curam abſoluet. Nec quæ ex auro, argento, ferro cupro, Antimonio & Tartaro fiunt, balſama deſpicimus, terra quoq; ſuum balſamum exhibet, & omne quod ex terra naſcitur, mumiam latius præbet, in vno tamen minus, in alio magis. Qui folia Hellebori nigri in balſamum reducere nouit, is ingentem in arcanis abſconditæ naturæ theſaurũ poſſidet: Hoc rite adminiſtratum ab omnibus externis infectionibus & omnib. internis putrefactionibus præſeruat, hominéq; in eo ſtatu, in quo genitus eſt, conſeruat, vt citra morbos ætatem ſecundam attingat, ideoq; dignum & operæ pretium eſt, purum ab impuro ſeparare. Hoc purum balſamum perpetuum & defenſiuum ſenectutis vocitant, leonis viridis vires adæquat, futuram lepram cum radice tollit, purgat hominem excellentiſſime ſupra quæuis alia arcana, radicitus euellit auferendum, ac omne quod immundum reddit hominum corpus, hoc in ſupremum vſq; ſanationis gradum purum efficit, ac ab omnibus ægritudinibus mundat, quicquid penes hominem fuerit impuri delet, ac magis quod in homine per hominem indecenter inueniri poteſt. Propterea nec Paracelſus tom. 7. nec Forauantus, nec Penotus, nec Quercetanus, nec vllus alius ex ve-

terum vel neotericorum choro naturæ consultus, hanc veram balſami præparationem in vulgus promulgauit. Quicunq; ergo ex dictis noſtris hunc balſamum inuenerit, huius præparationem ſatis clare artis filiolis indigitarit, imperito ne dederit. Nam ignaris imperitisq; arcana aperire eſt audaciam illis ac proteruiam augere, cum contemtu doctorum virorum. Externam deniq; harum læſionum defenſionem chirurgia docet, quæ à Paracelſo latius & apertius tradita ſunt, quam vt de his plura nobis ſuperſint dicenda vel declaranda. Quare huic tractatui finem hic imponamus, atq; inſuper Deo, cui omnia quæ à nobis fiunt, aut dicuntur, accepta ferre par eſt, immenſas agamus gratias.

SALIS BALSAMVS.

SAl marinus & non alius optime depuratus seu Veneris vitriolum more spagyrico ad summum præparatum in vitrum cum aceto philosophorum Spiritu salis nitri vitrioli & salis armoniaci exasperato ponatur per 15. dies ac noctes in ventre prælian- tis sepeliatur. Putrefactione finita destilletur igne conuenienti, hoc est, per gradus donec signum tincturæ appareat, tincturam ab albo separa & per retortã rursum vrge, videbis exire nigredinem. Hanc iterum age per

retortam iterando toties donec exeat albeſcens, perge nec de opera deſpera, rectifica, donec verum clarum viri dem Leonē reperias, quem ſpectabis pondere grauē & ingentē. Bene illi qui ipſum reperiet, & ad tincturā corporis humani vſurpare nouit. Hic eſt verus & genuinus balſamus, cœleſtium Aſtrorum corpora nulla putreſcere ſiners, nec radicem agere permittēs, datur 1. grani pondere, ſi cum ſulphure ſolis fermentetur. Hæc Paracelſus Medicorum Monarcha.


FINIS.


Typographus Lectori S.

NE nescias humanissime Lector exemplar manuscriptum, ex quo hæc transcripsimus difficile admodum lectu fuisse, unde copiosa hæc irrepsere σφάλματα: quæ obiter & alia inter legendum non animaduersa pro tua humanitate corrige. Et si cognouero studium meum tibi complacuisse, enitar ut aliquando una cum reliquiis cæteris Scheunemannianis emaculatior prodeat. Interim hisce fruere, & nos ama.

ERRATA.

Pag.5.lin.18.pro Iohannes lege Iosephus. p.11.l.9.semina pro scientia l.11. custodiuntur. l. 13. in his pro in hac l.15. vtcunq;.l.18.languida sunt.pag.12.l. necessarias. l.21. post quibus pone omnibus. l. 23. saporum odorum. p.15.l.14.coagmentationes. p. 10. l. 11. plus Mercurii. p.20.l.5.potestate.l. 21.quoq; p.26.l.8.debent.l.9 renouat.l.12.ex sale Armoniaco.p.31.l.18.ab alio.pag.36. l. 3. Gallia Moschata.p.37.l.vlt. mordacitatem & p.38.l.7.arca.p.47. l.13. in costarum.p.48. l.3.induratio.p.56.l.11.nulla pars.p.61.l.2.difficulter cremabiles.l.12.sulphur solis.p.66.l.20.spiritu.l. 25. cum oleo sulphuris.p.69.l.19.ἀφωνίαν.l.24. aut si mingant; obliuiscantur matulam.p.72.l.5.nullius.p.74.l.6. quadam qualitate. p.77.l.22.Reguli p.79.l.3.expedit stercus vero quod eo modo recedit.p.82.l.24.victrioli.l.ead.dele pituitosi. p.86.l.21. morbis dissolutis. p. 88. l.1. mollius p.91. l.4. cute pro arte. p.96.l.4.hæc opinio p.98.l.7.Tartaro pro sulphure p.101.l.13 longanon.p.102.l.22.Magnetinum.l.23.Duelech. p.110.l.13. diebus curationem.p.111.l.6.in ea pro niueus.p.112.l.12. feruida aqua pro feruido igne.





Pathol. gen. 521